HADRIANI IVNII MEDICI

EMBLEMATA,

AD

D. ARNOLDVM COBELIVM.

EIVSDEM

AENIGMATVM LIBELLVS,

AD

D. ARNOLDVM ROSENBERGVM.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXV.
CVM PRIVILEGIO.

QVORVM PRINCIPVM AVCTORITATE CAVTVM SIT CHRISTOPHORO PLANTINO, NE QVIS PRÆTER EIVS VOLVNTATEM HAD. IVNII MEDICI EMBLEMATA EXPRIMAT, AVT DIVENDAT, IN EXTREMO LIBRO DECLARABITVR.

CLARISSIMO SPLENDIDISSIMOQ. VIRO ARNOLDO COBELIO, QVÆSTORI ÆRARIO HOLLANDIÆ MERITISSIMO HADR. IVNIVS MEDICVS.



ANVARII Calendas anni auſpices largiendis ſtrenis ſacrauit antiquitas. atque ea conſuetudo iam inde à Tatio Sabinorum Rege in poſteritatem tranſmiſſa eſt: quem verbenas felicis arboris ex luco Streniæ, noui anni auſpices, primũ accepiſſe auctor eſt Symmachus, argumento indubitato viris ſtrenuis eas conuenire, atque ob virtutem deberi. Decreueram itaque veterum factũ imitator non otioſus aſſectari, ornatiſſ. Cobeli, ac dedicato tibi, miſſoq; ſtrenæ vice libello Emblematum Ca-

lendas præuertere, ſed voluntatẽ eam ſedulitas quædam ſibi inſtans nec ferè vnquam ſibi ſatisfaciens abrupit: eam tamen occaſionem elapſam eo minùs iniquè patior, quo libri moles magis excreuerit, quo Emblematũ numerus ſit auctior, hoc eſt, quo largior vſura fenori acceſſerit. Bonæ fidei cõtractus reſcindi nequit, cõperendinari poteſt, habita fenoris ratione. Itaque ſeriùs ad te xenij loco proficiſcentem libellum, ex corollarij ſuperpondio nihilo deteriorẽ putabis. Neque verò ex prolixitate captare fauoris auram ſtudui, quando vnumquodque Emblema libelli materia futurum fuerit; ſi compendio operoſam verborum ſtruem prætuliſſem; ac niſi tam poſſe occupato tibi diſplicere prolixitatem cogitaſſem, quàm mihi aut deſiderãtibus aliis eſt grata. Nimirùm malui eundem mihi linguæ modum, qui eſt ingenij, qui

qui eſt fortunæ. Scripſi autem plura, quàm iniunxeras, vt delectũ inſtituere tibi ſit integrũ, itidem vt fit in luſtratione exercitus, vbi triariis & veteranis primus habetur locus, capitecenſis & gregariis numero ſummotis. Pluſculum operæ poſitũ eſt cùm in reddenda ſymbolorũ ratione, quæ obſcurior paulo eſt, eo quòd breuitatem captanti, ſingulis verſuũ quadrigis, & picturæ typum & ſymboli rationem includere neceſſum fuerit, tum in explicando picturæ apparatu, vt ne pictor, quia locis diſiungimur, quidquam hîc deſideraret. Adde quod impenſiùs & de induſtria ſategi, varietate metrorum condire opus, vt vniformis lectionis faſtidium hac parte leuaretur. Vale feliciter & nos ama. Harlemo ſub Idus Ianuarias.

 I. Sam-

IO. SAMBVCVS HADR.

IVNIO SVO. S.

ACCEPI tua Emblemata; de quibus etsi tu nimium modestè sentis, aliud tamen fore publicum iudicium videbis: nam & sana, & varia, elegantiaq; sunt, & facilè auctorem, officinamque testabuntur. Quòd verò mea tantopere expetis, ante Aprilem ob sculptoris & pictorum moram vix apparebunt: quæ si videris, minuetur desiderium legendi ea, & verè τῶν κοπρίων ἐκβλητότερα dices. Tu verò tandem nobis Sudam restitutum, epithetorum Græcorum explicationes, Nonium, & alia extrudas: nec, quasi nondum absolueris, otium differēdo quæras; teque ad alia accingas; vt, quando Erasmum vestrum ingenio æquare cœpisti, numero quoque lucubrationum inferior ne sis: dumque ætas, viresque permittunt, τὴν τοῦ χρόνου συνέχειαν συναφείᾳ quadam καὶ εἱρμῷ velut librorū, qui nisi eruditi esse nequeunt, posteris repræsentes. Vale, & Sambucū amare pergito, sed minùs laudato: quis enim, quàm ego, me nouit meliùs? Antuerpiæ, IIII. Idus Februarij. Anno M. D. LXIIII.

Repre-

Reprehendere procliue: & animum apertum esse debere.



Nocte satus, genitore orb⁹, sum nomine Momus,
Dente Theonino singula rodo lubens:
Fingi hominem caussor clathrato pectore; apertis
Sensibus occultum vt nil specus ille tegat.

Rabularum odium.



Grunnitum ſuis immundi cane peius & angue
Indus Elephas inuiſum habet.
Obſtreperos rabulas, qui litibus omnia miſcent,
Odiſſe par eſt Principem.

Gloria immortalis labore parta.

Ad reuerendiss. Cardinal. Granuellanum Ant. Perrenotum.



Tortilis, & caudam ore tenens hic termite lauri
Ambitur anguis, & ligonem circuit.
Gloria continuos nunquam moritura labores
Sequitur, virensque in ore viuit perpetim.

Impunitas ferociæ parens.




Insultant pauida hic natio musculi
Clausis muscipulæ carcere felibus.
Sublatoq́ue metu forte periculi
Crescit tunc animus degeneri insolens.

Vita

Vita mortalium vigilia.

Ad D. Viglium Zuichemum Præſidem.



Inuigilare libris, ſtudio metirier horas,
Pars vitæ eſt princeps: otia vita fugit.
Fama vehit vigiles, ſepelit'que obliuio inertes:
Hoc liber explicitus, clepſydra, lychnus habẽt.

Ex pace rerum opulentia.



Aureolum dextra gestat Pax Attica Plutum,
Læua tenet cornu plenum vbere copia.
Gliscit opum satias, & rerum copia læta,
Pax vbi Marte triumphato viget aurea.

Quod

Quod in te eſt, prome.

Ad clariſſ. virum Ioachimum Hopperum Conſil. Reg.



Rimaris tundendo ſinus tibi pectoris altos,
Et vitam Soboli das Pelecane tuæ.
Perſcrutare animũ, quære in te quod latet intus:
Ingenij in lucem ſemina prode tui.

Calum-

Calumnia dira pestis.



Hic radio lætifiro tacta, velut sidere, Pastinacæ,
Exuitur celsa pirus deciduã luxuriem comarũ.
Haud aliter vipereo vaniloquus dẽte calũniator
Attalicas vertere opes, cõditionẽq; potest superbã.

Inui-

Inuidia integritatis assecla.

Ad Cornelium Susium Hollandiæ Præsidem.



Palma caput tollit cælo ardua, cuius ad ima
Rana loquax, stabulantur & hydri.
Oppugnãt proceres, quorũ via consona recto est,
Degeneres, atque inuida lingua.

Deside-

Desiderium spe vacuum.



Ceruina potitur rabidus Leo: suspicit catellus,
Captat'que rictu prædam inops opimam.
Sic hæredipetis aliena vorantibus, sed ore
Sicco, euenit, quos funeris trahit spes.

Impro-

Improbè Deum fatigamus, votis vt nostris seruiat.

Ad Splinterum ab Hargen Eq. aur.



Latoiden Cadmæa Tyros deuinxerat auro:
Gradiuum tenuit compede Sparta grauem:
Præpete priuarunt penna Victoriam Athenæ,
Quisque suis votis cogit adesse Deum.

Vxoriæ dotes.



Illaqueata ſedet pedicis, pudibundáque velat
Vultum Venus Spartana flammeo.
Vxorem caſtus pudor, & conſtantia amoris,
Cuſtodia & ſui laris decet.

Pru-


Prudentia cum robore coniuncta.

Ad clariss. virum Philippum Cobelium Regium Consil.



Viribus Cyllenius integris stat
Iunctus cum senio graui.
Robur inuictum est, sapientia si
Firmes: qua sine, concidet.

Principum opes, plebis adminicula.



Pyramides Pharium monumẽta perennia Regũ,
Errãtibus circũligat hedera ſequax brachiis.
Regum opibus firmis plebs ſuſtentatur egena:
Mentisq́ conſtans firmitas viret perenniter.

Seipſum

Seipſum vincere, palmarium.

Ad Arnoldum Sasbotum Senatorem.



Pampineis criſtatus Epops, vide, vt æger ab vuis,
Munit adianti ſe virente ramulo.
Se Sophiæ monitis mens, ſerua affectibus, armat:
Temeti'que vires frangit abſtinentia.

Cuncta complecti velle, stultum.



Ventosas pueri bullas per inane volantes
Prendere dum satagunt, opera exit inanis.
Qui varia attrectat studia, aut venatur honores
Ambiguos, pueris mihi stultior ille est.

Coër-

Coërcenda & exſtirpanda impietas.

Ad D. Iacobum Suſium virum doctiſſ.



Hoſtis colubris ales inſidet ſceptro,
Subſtrata quod Niloi equi premit terga.
Domat ſuperbos, impiosque proculcat
Sceptrum æquitatis, noxiosque conſumit.

Audito multa, loquitor pauca.



Aure concipit, parit
Mustela fœtum postea in lucem ore.
Aure dicta concipe,
Diu at recocta parciùs prome ore.

Proui-

Prouidentia.

Ad Iacobum Endium reipub. Holl. caussarum vindicem.



Quò sacer excurret Nilus in arua,
Præscius, alluuie libera ponit
Oua, monens meritò nos Crocodilus
Quæ fata immineant antè videre.

Exiguo contentus, potiora ſperans.



Libat rauca roſas cicada hianteis,
Clauſas præterit vſui futuras.
Præſenti fruitur, ſuo beatus;
Et fatis melioribus parat ſe.

Eru-

Eruditionis decor concordia, merces gloria.

Ad doctissimum Ioannem Sambucum Pannonium.



Cor pedibus iunctis, rostris concordibus aurum
Naupliadæ prendunt, munera sancta, grues.
Gloria debetur studiis, atque assecla merces,
Concordesque animos candor vbique decet.

Adula-

Adulator ſaluti reip. grauis.



Ut Leo, quem cæci vis lancinat effera morbi,
Sentit opem, ſi Simium edat, citam:
Palponem & dirum ſycophãtam qui eiicit aula,
Rex viru regnum vacuat graui.

Diuina ſcrutari, temerarium.

Ad Cornelium Muſium Delphum.



Immatura ſitim Pharia arcet Palma, eadem
Senſus præpedit, & linguam matura ligat.
Scrutans celſa Dei myſteria, lingua, animo
Hæret; at ille ſapit qui veſtibulum haud ſuperat.

Virgi-


Virginem pudicitiæ, matronam domus ſatagere.



Cernuus armiſonæ præbet Draco colla Mineruæ:
Domiportam at exterit Venus teſtudinem.
Virgo ſui ſatagit decoris bene prouida: at vxor
Frugi ſilet, nec limen excedit domus.

Medici Icon.

Ad Martinum Aedituum Medicum insignem.



Sceptriger, & lauro, baculóq. inſtructus acerno,
Quid Draco, quid Gallus vult ſibi, quid'ue Canis?
Imperat hic ægris, operoſáque arte medetur,
Sedulus, & fidus, dignus honore, vigil.

Fortu-

Fortunæ inſtabilitas.



Stare loco neſcit certo Sors lubrica, ſedes
Quærere docta nouas.
Hinc pedibus mutilam, & ſubnixā remige pēna
Smyrna Deam poſuit.

Sermo

Sermo de Deo apertus, mens sit occulta.

Ad Iohannem Becanum Medicum clarissimũ.



Persea fert linguæ similes, sacra Isidi, frondes:
Typum'que cordis poma turgida exprimunt.
Sermo, index animi, de numine sentit apertè;
Cor cæco operculo intus arcanum tegit.

Principis calamitas, priuatorum dissimilis.



Stat vidua quercus læto honore frondium,
Quas rapido Boreas decussit asper turbine.
Princeps auitum, sæua cui refixerit
Imperium Nemesis, tuetur is gentis decus.

Sacer-

Sacerdos castus & animi liber.

Ad Matthiam Herium.



Quid fugitas hederã manib. cõtingere Flamen?
Solidum quid annulum atque nodosum fugis?
Illaqueatricem Venerem vitato sacerdos;
Sis liber animi, nec mali tibi conscius.

Sero detrectat onus, qui subit.



Iugo repanda colla seruili effere
Exuere molliter paras taure irrita.
Sero recusat, qui capessiit, iugum,
Connubium'que, munera & ciuilia.

Idem ſalutis & exitij fons.

Ad Antonium Hofflach Aduocatum.



Nos necat elleborus; capris adipē auget, aui'que:
Idem ignis fomes, & populator opum eſt.
Inſontem & ſontem facundia præſtat eundem:
Nunc eſt exitium, nunc medicina ſalus.

Celeritatem mora, & hæc illam vicissim temperet.



Quid scamno reses, obtendis testudinẽ & alas?
Humũ hinc premis vestigio, calce hinc cælum appetis?
Temperiem cũctis adhibe, remoram iniice; si sis
Celer nimis, velocitate tempera moram.

Boni

Boni adulterium.

Ad Ioannem Zurenum Harlem.



Funesto Arachnen flos idem succo replet,
Apíque mella sufficit liquentia.
Concordiæ litis'que idem dictum est parens:
Scriptura prauis sica, fit scutum bonis.

Vinum ingenij fomes.



Vuiferum Bromiũ, volucrem ſed præpete penna,
Quid tacitæ poſuiſtis Amyclæ?
Tollit humo ingeniũ Bacchus, mentẽ erigit altã,
Pegaſeáque velut vehit ala.

Quære

Quære adoleſcens, vtere ſenex.

Ad Andream Oſteruicum Splinteri filium.



Hinc dum viget, duro labore exercitus,
Ephebus; hinc ſenex beato Copiæ
Cornu fruens, opum & dapis lætæ ſatur;
Iuuenem parare commonent, vti ſenem.

Veneris potentia.



Quid Cytheræa polũ fers vertice? vis mea ſcãdit
Cælum, & Ioui dat iura. quid papauera?
Sopio corda hominũ quãuis fera. roſcida quorſum
Mala? illices eſſe has voluptates puta.

Virtus difficilis, ſed fructuoſa.

Ad clariſſ. Hieronymum Tennerum, Regis Daniæ Cancellarium.



Pomum inſigne geris Cybeles, dura cute opertũ,
In torulis dulces cui ſtabulant nuclei.
Ardua vallatur duris ſapientia ſcrupis;
Dulcibus aſt eadem fructibus illa ſcatet.

Femina

Femina improba.



Cùm ruit in venerẽ, blanditur Echidna marito,
Mox ſatura inſertum præſcidit ore caput.
Improba palpatur, tentigine feruida coniunx;
Continuò letum poſcit anhela viri.

Malo

Malo oppreſſus, deterius formidat.



Clathrata caueæ macerie cluſa columbula
Incuruis aquilæ permetuit carpier vnguibus.
Formidat grauius ſollicita mente periculum
Afflictus: capiti is rite ſuo conſulit & rei.

Amoris ignis perpetuus.



Hinc tædam vt ſuus ignis edat teretem, vide
Illinc vt rapido male liquitur à rogo.
Viſæ tabet amans miſer igne puellulæ:
Abſens tabifico haud minùs vlcere carpitur.

Lin-

Linguam compeſcito.



Pigram quid aluum comprimis caua manu,
Quid vda labra, quid ſalax inguen Scytha?
Abdominis ſtudium, & grauem luxum fuge,
Linguamq́ue frena prodigam vel maximè.

Deum & ama & time.



Myſteriis addicta Memphis æde pro ſacra
Sphingem biformem dedicauit, ſymbolum Dei.
Amato numen ceu piis mite, ac placabile:
Rurſus time, vt vindex inexorabile impiis.

Εἴξας νικῶν, siue victrix animi æquitas.

Ad Victorem Giselinum.



Vis Boreæ obnixas violento turbine sternit
Ornos: Àrundo infracta eandem despuit.
Fit victor patiens animus cedendo furori:
Insiste, Victor, hanc viam & re, & nomine.

Bivium virtutis & vitij.



Hinc luxu compta, inde situ horrida femina pugnant
Alcidem in partes flectere quæque suas.
Nititur inculta hinc iuga scãdere se duce Virtus,
Hinc Vitium pronos mergere deliciis.

Deum

Deum odiſſe impudentiam.



Pernix accipiter, piſcis, Nili incola dirus
Equus, quid ordine hærent?
Symbolon hoc loquitur Phariæ tria verbula gẽti;
Deus odit impudentes.

Iræ malagma philoſophia.



Getulus Leo non ſic aliud, quàm metuit
Tædam flammiuomam, qua rabies ſæua cadit.
Sidit trux animus vel facibus luciferis
Cæleſtis ſophiæ, aut ſupplicij terriculis.

Hinc

Hinc dolor; inde fuga, grauis.



Quid, Cerue, Cressa fixus arundine
Laxas habenas præcipiti fugæ?
Hæc sors amantis, quem fuga concitat:
Mentem intus exest vulnus atrox nimis.


Princeps ne cui aures seruas præbeat.



Sublimem ære Iouis statuã, patula aure carentẽ,
Sacrarat Minoïa Creta.
Principis est, regnum dextra moderãtis habena,
Seruam ne cui commodet aurem.

Amo-

Amoris ingenui tormentum.



En vt igneum facis coruscæ lumen
Insilit culex proteruus, ac necat se.
Haud secus suos Amans misellus igneis
Persequens, crucem inuenit, suum'que funus.

Vxoriæ virtutes.



Testudo premitur pede; clauem dextra retentat;
Vacat obstruendo dentium septo altera.
Ne vaga discurset coniux, neu futilis esto;
Ipsam'que cura opum tuendarum addecet.

Nec

Nec igni, nec ferro cedit.



Bipennis hinc, fax inde viuum ignem vomens,
Nexum adamãte suo decussat annulũ probè.
Fortis animus, constans'que, victor omnium,
Despuit intrepidus pericula & sæuas cruces.

Venter, pluma, Venus laudem fugienda sequenti.



Quò fugitiua ruis, quem'ue auersata relinquis
Gloria clara virum?
Desero suffultum pluma, Veneris'q. ministrum,
Mancipium'que gulæ.

Veri-

Veritas tempore reuelatur, dissidio obruitur.



Quid penniger Saturne in auras virginem nudam rapis?
Quid feminarum cœtus aggesta obruit terra scrobem?
Specu emicãtem veritatẽ, temporis natã, triplex
Obruere pestis apparat; Lis, Inuidia, Calumnia.

Discor-

Diſcordia exitialis.




Sanguineã quatiẽs haſtã, caput horrida echidnis
Folle focũ ſubigit, flãma vnde fumusq́ exſilit.
Exitiale parens animat diſcordia bellum,
Improba lingua mali, cædiſque ſeminariũ eſt.

Candor ingenuus.



Exſorbet ſaniem hulcerum atra muſca:
Mel dulce haurit apis thymo ex amaro.
Doctos ingenuus decere candor,
Obtrectatio liuidos putatur.

Animi ſcrinium ſeruitus.



Luſcinia veris nuncia,
Muteſcitincluſa caueæ.
Eſt ſeruitus ſcrinium animi,
Linguam'que vinclo præpedit.

Locu-

Locuples satellitium diuitum.



Et pilis horret, tractú que obserpit Iülus
Arquato, ac præfert agmine mille pedes.
Ansati incedunt proceres, glomerant q. superbos
Gressus; assequitur longa caterua comes.

Assi-

Aſſiduitas duri victrix.

Ad Petrum Iunium filium.



Fiſtucas auro triplices, monumenta laboris
Continui, ſemper Suſia gens coluit.
Aſſiduus labor, & ſollers induſtria, quid non
Edomat? huic cedunt omnia, dura licet.

QVAE ratio Athenienſes olim mouit, vt cum publicis exſecrationibus ſancirent; ne quis vlli vnquam viæ ignaro indicium denegaret; ea nos quoque adducti non nihil operę ſumpſimus in emblematum noſtrorum origine, vſuq́. oſtendendo: ita tamen, vt interea quàm minimùm à vera eorum ratione & natura recederetur. Non enim ignoramus, eo plus venuſtatis, & gratię iſtiusmodi ſcriptis accedere, quo ingenium acuũt magis; hoc eſt, quo ſuſpenſum diutius & ſollicitum Lectoris animum tenent; maioreque poſteà, quàm intelligũtur, cum voluptate in ſui admirationẽ rapiunt: pręſertim cùm apte, ſubtiliterque inuenta ſolidi quid & pręclari iucunda obſcuritate, quaſi obtento velo, tegunt. Itaque, etſi amicorum non nulli meliùs legẽtium auiditati conſultum iri putarent, ſi vnicuique ſymbolo ſua interpretatio ſtatim ſubiungeretur; nos ſatius tamen eſſe iudicauimus, ordinem plane diuerſum ſequi: & alterã quaſi operis partẽ ipſum facere commentarium; qui, hariolandi, coniectandiq́. palma priùs in medio poſita, aut bene iudicantibus deinde ſuccinat, aut minùs aſſequentibus facultatem intelligẽdi ſubminiſtret, ductorisque, vel, ſi ita placet, interpretis vicem ſubeat. Idem de ęnigmatis conſilium ſecuti ſumus, in quib. ea quę ibi pręfati ſumus, hęrentem facile expedient. Vale.

MOMVS reprehensionis conuicii'que Deus apud priscos fuit habitus, quãdo etiam vitiis, morbis'que, & multis etiam pestibus sua illi præfecerunt numina. Hunc Hesiodus poëta in Theogonia Noctis filium prodidit, absque genitore: quo fit vt nonnulli secuti fidem editionis Venetæ longè omnium mendosissimæ lapsi sint: Somnum parentem illi attribuentes. Erroris occasionem dedit vox, οὔ τινι, quæ, nemini, significat, eam'que lectionem interpretes Græci agnoscunt, & sequuntur; cùm alij legisse videantur, ᾧ τινι, id est, cui, vt referatur ad somnum, non animaduertentes, quòd hunc Nocte editum fuisse dixerit, quódque incæstum matris cum filio inuecturi sint. Cur autem fabuletur Noctis filium Momum, sine patre: hãc mihi perspexisse rationem videor, tum quod vitilitigator in altissima ignorantiæ atque errorum caligine versetur, & luce ingenij defectus studióque aliena reprehendẽdi nihil ipse rectũ gignat, sed emissitiis oculis aliena peruideat: tum quòd ex occulta & abdita ratione illa carpendi libido nascatur. Sine patre verò, quod incerto auctore & è vulgo plerunque oriatur istud reprehendendi calumniandíque studium, quomodo vulgo conceptos

ptos dicimus, qui certum patrem demõſtrare non poſſunt. Ob ſuperiorem rationem etiam fuſcum et coloris muſtelini faciem pictura illi tribuit, additis nigris & dentibus & vnguibus; qui maledicentiæ ſymbola ſunt, iuxta illud Epigrãmatarij:
Nigros contorſit liuidus vngues.

Idem alatus pingitur, quòd reprehenſione, ac maledictis nihil pernicius; quæ facillimè emittuntur, citiſſimè excipiuntur, & quaquauerſum latiſſimè diffunduntur, vt ſenſit Cicero pro Plancio. quo ſpectat & Alcæi verſus:
Μώμου λαιψηρὰς ἐξέφυγεν πτέρυγας, id eſt,
Pernices Momi pennas effugerat vnus.

Epigrammata græca Momũ effigiant ſenem ſubiecta manu fulciẽtem calua tempora; quæ ſpecies innuit ſenile plærunque eſſe reprehendendi vitium, eóque morbo laborantes vitilitigatores, cogitabundorum more, meditari ſemper ac cominiſci quod carpant. Adiungo illi & Inuidiam indiuiduam comitem: hoc conſilio, quòd æmulatio fermè accendat foueat'que iſtud vitium. Fabula notiſſima eſt ex Luciani Hermotimo de ſectis, quam compendio recenſebo. Nata inter Palladem, Neptunum, & Vulcanum contentione,

quis vtilius opus commonstraret, Neptunus taurum, siue vt alij, equũ velut arationi, vecturæq. accommodum in primis animal in medium statuit: Pallas domicilium ostendit, cuius vsus contra iniurias aëris omnes inseruiret: Vulcanus fictum hominem pro facilè præstantissimo opere exhibuit. Delectus arbiter Momus, præter alia quæ carpsit, caussatus fuit in hominis opificio prætermissos fuisse ab artifice clathros, seu fenestellas, pectoris parieti inserendos; per quos, ne quid occultum lateret intus, introspici posset. Idem etiam Veneris sandalium, vt argutum nimis atque loquax, calũniatus fuisse legitur. Porrò nihil in vita mortalium tam numeris omnibus absolutũ, tam doctum, tam rectè factum inuenias, quod non, innatus Momis quibusdam, calumniandi & carpendi morbus conuellat, aut saltem incessat: adeo procliuius fuit sæculis omnibus, μωμίζειν ἢ μιμίζειν, *id est, Momum quàm mimum agere. Itaque tum hunc ad sensum refertur Emblema, quòd reprehensioni obnoxia sint omnia: tum etiam ad id, quod prudentissimè, doctissiméque dictum à Socrate memorat Vitruuius, oportuisse hominũ pectora fenestrata & aperta esse; ne occultos habe-*

rent

rent animorum ſenſus; ſed ad conſiderandum patentes: ſiquidem corde nihil ſinuoſius, nihil inſidioſius fabricata eſt natura; vt ſolius Dei ſit ſenſus & cogitata hominis inſpicere atque pernoſſe. Pictura. Senex pingatur caluus, colore fuſco, liuidis dentibus vnguibus que, alis ſupra humeros extātibus, læua caput ſuſtentans cogitabundi in morem, dextræ indice extento verſus effigiem quandam hominis, clathratum pectus habētem: adſtent procul Pallas cum domicilio: Neptunns cum equo: proxime illum Vulcanus cum homine ſuo, ita vt ſimulachrū hominis clathratum diuerſum ſit ab homine Vulcani, velut Momo deſignante, talem oportuiſſe fingi. Quod ad picturam Deorum attinet, ita ſemel ſtatuo: Neptunus nudus pingatur, capillitio cæruleo, altera tridentem complexus, altera manu equum habena tenens, pede delphinū premens. Vulcanus atro colore vt faber, rugoſus propter aſſiduos ad incudem labores, læua malleū tenens, dextra hominem à ſe fictum cōmonſtrans, claudus, capite præferens pileum cæruleum, cuiuſmodi ferme figura ſpectatur Ducis Veneti tiara. Palladis effigiem dabo Emblemate 15.

Carmen est Heroicum cum dimetro Iambico, quale illud Horatij:

Nox erat, & cælo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera.

SVS *animal est infestissimum Elephanto, usqueadeo vt vel solo illius stridore atque grunnitu audito, immanis illa bellua in fugam agatur; id quod hostilia tela facere nequirent: vnde insulsum illud Mahometi, plani & impostoris perditissimi, commentum, risum quibusuis commouere possit, prodetis olim diluuij tempore in arca Noæ Suem Elephāti sterquilinio genituræ suæ originē acceptam referre, vt ex eius fimo enatum. Sed vt hoc ridiculum, quippe ab homine rerum naturæ ignaro proditum; ita illud confirmat auctorum vnanimis consensus: siquidem præter Plinium, Orum, Zoroastrem, Senecam Ælianus libro de animantibus primo, suis stridore minimo terreri elephantum locuples testis est: qua ratione cognita, Romani commisso cum Pyrrho Epirotarum rege prælio, victores exstitere; cùm elephantes eius regiæ obiectis suibus in fugam compulissent. Memorabile adeò est nec silentio obliterandum, quod à Megarensibus factum proditur, eodem au*

ctore

ctore l.16.c.36. quòd cùm ea vrbs arctissima obsidione ab Antipatro Macedone pressa, acerrimè oppugnaretur; oppidani sues liquida pice perlitos priùs, admotáq. flãma succensos in hostilẽ exercitum immisere, qui depascente iam illorum corpora incẽdio, latè grassantes, ac horribili stridore in confertum elephantorum agmen delati, belluas velut in rabiem concitas disturbatis ordinibus in fugam verterunt. Huc faciunt verba historici, quæ nobis integra seruauit Suidas in hunc sensum. E vestigio appensa de turri sue, periculum quod ab elephante ingruebat, euitarunt. siquidem atrocem grunnitum cùm mox edidisset suspensus porcus, elephas id non ferens inhorruit. Illud verò tanquam controuersum ambigi potest, natiuum'ne sit quoddam atque intestinum inter hæc animalia dissidium, cuius caussa mortaliũ ingeniis sit incognita; an quod raucum illum stridorem, vocem'que auribus asperam natura exhorrescãt: cuius rei gnari, qui pullos elephantũ educant, iam inde à primis annis sues adhibẽt, vt assuetudine paulatim mali illud vincãt. D. Amb. in Hexaëmero videtur istud referre ad prærogatiuã quãdam à natura singulis animãti-

bus donatam. Suibus aptissimè comparantur non insulsi modò, & à Minerua alieni homines; verùm vel maximè lingulacæ, & à rabie non malè dicti rabulæ, qui cælum terræ miscent: Item parasiti, quibus similiter vt suibus anima pro sale dari videri potest: quod olim venustè dixit Cleanthes: qui omnes si à Regiis exsularet, rectiùs cum rebus humanis ageretur. Pictura poscit elephantem auerso capite & crispata promuscide fastidiosum: Suem contrà elephanto impudenter obsistentē, ac retracto rictu grunnitum mētientem.

Emblema III.

EMBLEMA, *nisi fallor, ab Illustrissimo Cardinali Granuellano* ANTONIO PERENOTTO *vsurpatum, elegans cum primis, & illustri laborum eius, virtutumque heroicarum assecla, rectéque factorum comite Gloria dignissimum. Videtur autem heros ille, cum omni posteritate nominis sui memoriam qui adæquauit, innuere voluisse, ingentes, ne dicam perpetuos esse exantlandos labores, Herculis ritu, ei qui adspiret ad amplissimum illud virtutis præmiū, Gloriam videlicet; quæ concors est & consentiens bonorum rectè*

recte iudicantium atque incorrupta laus, eáque perennis; quæ cùm vitæ breuitatem, tum iuges laborum periculorum'que molestias, sempiterna posteritatis cōmemoratione solatur; hominibúsq. per suos veluti gradus ab humo in cælum adscensum præbet. vsqueadeò illa altissimi cuiusque & optimi animum noctes, dies'que exstimulat, accendit, atque concitat; vt per labores ad honestissimum illum veræ virtutis fructū, eundem'que immortalem peruadat: (nimirum exsulat hinc popularis illa fama, adumbrata quædam illius imago.) Sic ante Salaminem ipsam à mari obrutum iri hariolatur non falsus Cicero, quàm Salaminij trcpæi, quod Themistocles erexerat, memoriam: prius'que Leuctra Bœotiæ funditus interitura, quam Leuctricæ victoriæ, duce Epaminōda partæ, gloriam. Neque verò huius loci est, aut temporis effusioribus habenis in istius herois labores, atque inde natam mox gloriam prouehi; cùm singularibus ea commentariis debeantur. Pictura autem passim obuia est, vbi ligonem, qui fodicat orbem terrarum, anguis mordicus suam caudā ore tenens circumplectitur: eum'que ipsum serpentem laurea corolla medium ambit.

Carmen est Asclepiadeum monocolō, quale est illud Horatij:

Mæcenas atauis edite regibus.

N ATIVVM *dissidium atque internecinum bellum esse Feli, cum fugace Murium gente, vsqueadeo vt etiam cinere eius animalis diluto fugari abigique mures sit proditum, nemo est qui ignorat: nimirum à Natura doctam videmus, suspensis alto silentio vestigiis, occultóque speculatu, & certo caudæ quam vibrat libramine, in musculos exsilire: vt nunc inanē ac superuacuam sim collocaturus operam, si in re clarissima disertus esse velim. Monet autem symbolum, cuius meminit Suidas, nimia licentia & impunitate proposita insolescere homines. Metus supplicij sceleросos in officio continet: quo amoto aut negligentiùs obito, increscit ferocia & scelerate agendi libido. Verissimè dictum est in Miloniana, maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem. Pictura postulat geminas muscipulas, quibus inclusæ sint feles, murium agmine liberè choræas circumquaque ducente.*

NON

NON *hic de ea vigilia nobis ſermo eſt, quam toto triennio paſſus fuiſſe legitur immortalis ille omnium ſcriptis Mæcenas, qui Somni molliciem nullis potuit libaminibus, nullis victimis flectere: ſed de ea quæ Demoſthenẽ coryphæum & principem oratorum fecit; qua antelucanas fabrorum operas præuertere magna cum ambitione conſueuerat: Sed de ea qua Iulianus Imperator noctes diſpartitus fuit in triplicia officia, quietis nimirũ, Reipub. & Muſarum: Sed de ea qua Alexander Magnus ſubiecta brachio ænea concha, tinnitu comploſæ peluis, vbi pilam argenteam manu tractatam remiſerãt nerui ſopore laxati, euigilare ſolebat: Sed de ea quam reuera vitam vocat Plin. quæ in iis præcipuè viget; in quib. animus inquies opere paſcitur; id quod de te dici patientibus aubus non abnues, Vigli vigilantiſſime, qua duce tot prouinciarum commodis aſſidue inuigilaſti hactenus non ſine valetudinis diſpẽdio; qua tot iam annis magna cum laude Præſidem concilij egiſti, partáque immortali gloria tibi tuiśque eam facem præluxiſti, cuius nunquam intermoriturus ſit fulgor, eodem, quo orbis terrarum, termino incluſus. Proinde, qui veræ gloriæ amore ducimur,*

id nos

id nos ope summa contendere decet; vt & Reip. & in commune consulēdo, testemur nos pluribus horis vixisse, & Sōno temporis furi, aut (vt Ariston aiebat) publicano, mediam vitæ partem interuertenti, portionem deduxisse. Frugi nanque temporis cum laude dispensatores, à morte etiam fax immortalis, veræ virtutis assecla gloria, nunquam extinguenda comitatur. Symbolum Viglij vulgatissimum pingēdum erit; quo hinc liber explicitus diligentiæ, illinc clepsydra temporis parcè admetiendi argumento, atque horum in medio lychnuchus cum ardente face, posthumæ gloriæ testimonio, libitinæ imposita simul omnia exprimenda venient.

Emblema VI.

Hexametrum est carmen cum Dactilico Simonideo, pentimetro acatalectico, quale memoratur illud à Seruio Honorato:

Parthenopæus erat puer Arcadiæ decus.

PAVSANIAS *in Atticis scribit Athenis exstare Pacis simulachrū, Plutum filium gestantis: quod iterum repetit in Bœoticis, ingeniosè fabrefactum à Cephisodoto statuario scribens. Est autem Plutus siue Pluto diuitiarū deus: quan-*

quam

quam diuersissimos hos esse annotat Lilius Gyraldus, manifesti erroris conuictus vel ipso Pausania iudice: apud quẽ priore loco Πλούτωνα παῖδα legas; posteriore Πλοῦτον, eodem sensu. Siquidem Plutonem ideo præfecit diuitiis antiquitas, quòd ex imis terræ visceribus; imò ab ipsis inferis petantur opes. Non absimili ratione Thebis primaria Bœotiæ vrbe, Fortunæ statuam positam legimus apud eũdem auctorem, Plutum puerum gestantis, innuere volente artifice, fortunam matrem esse aut alumnam diuitiarũ. Quod ad picturam attinet: Pax femina pingitur nitido vultu, adspectu pulchra, oleagina corolla redimita, læua Amalthæa cornu omni fructuum genere redundans, dextra Plutum puerum tenens, claro symbolo, quòd non è bello, sed beneficio pacis crescant opes. Plutus autem puer pingitur volucer, aureus totus, oculatus, teste Philostrato in Imaginibus: nam cæci Pluti significatio, vt ominosior, ab hoc loco excludenda est.

PELE-

PELECANVM, *quem à rostri magnitudine* ῥάμφιον *nominat auctor* κοιρανίδων *anonymus, auē paludibus Aegypti peculiarē tradit, prolis suæ amātissimam, quæ pullorū suorum proteruiam atque impietatem merita morte vlta, mox facti pœnitens, pertuso latere suo, pullos mortuos vitali sanguine, quo animantur, irrorat: quod ipsum præter Isidorum commemorat D. Hieronymus, non eadem tamen fide; quippe qui pullis à serpentibus enectis id officij præstari dicant, cùm ille ad iniuriam parenti illatam hoc referat. Nihil virum ingenuè litteratum magis addecet; quàm citra omnem dissimulationem nihil occultum premere, quod vsui & commodo esse queat; ita se suasque operas commodare, vt appareat effusum benignitatis sinum nulli, nisi prorsus à Gratiarum limine peregrinus ille sit, claudere velle. Callimachus Hecalen* φιλοξενίας ἀκλήιστον στέγος *habuisse testatur: Cimonis Atheniensis ædes Laciadis suis patuere: Musarum fores semper apertæ etiam prouerbio teste innotuerunt. Vir et litteris & humanitatis artibus imbutus, vt illic; ita hîc quod æmuletur gnauiter, inuenit: vt nedum benignitate priuatim cōmodus sit; sed & officiis publicè*

publicè; vt Reipub. literariæ, vt patriæ, vt amicis, vt viris bonis prosit. Is itaque penetralia rimatur sua, nihil abscondit, ingenij dotes, quæ varias ad res à munificentissimo bonorum largitore Deo vnicuique tributa sunt, non modo non supprimit, sed claram in lucem profert, totum se denique effundit. Talem te, Hoppere Iureconsultorum coryphæe, præstas communi patriæ; talem amici agnoscunt, talem te Respub. litteraria sensit: &, nisi concatenatorũ laborum, otium illud Musis sacrum interpellantium, circulus, Principum curis inuoluisset, locupletiùs sentiret, immortalibus fœcundissimi ingenij fructibus fruitura. Picturæ ratio notior est, quàm vt in ea operam collocem explicanda.

Emblema VIII.

Carmen est Choriambicum Callimachium, constans tetrametro & amphibrachy siue bacchio, quale est illud:

Armipotens Mars genitor Romulida, te, venias, precamur.

PASTINACA *is piscis est, quẽ Græci τρύγονα, interpretes plerique omnes Turturẽ perperam appel-*

appellant: Hollandis nostratibus, ab aculeata iaculi in modũ cauda, Pylstaert nominatur. huius radius (aculeum ita vocat Plinius) tam letalem præsentaneique veneni vim habet, vt arboris quantumuis ramosæ, ac vegetæ, & amœnissimo frondium virore florentis caudici infixus, mox folia defluere faciat: quo amisso honore, truncus quoque celerrimè exarescit; neque multò post side ratæ, atque è solis immenso ardore, solique squallore exsiccatæ arbor fit similis. Plinius lib. 9. cap. 48. & lib. 32. cap. 2. huiusce rei fidem facit, nullum vsquam exsecrabilius venenum esse asserens, quam sit radius in cauda pastinacæ eminens, qui radici infixus arbores necet. hoc telo patrem Vlyssem interemit Telegonus, accepto à Circe matre exitij indicio. quam rem graphicè describit Oppianus in Halieuticis, in hanc fermè sententiam vtcunque versibus à me expressam.

Nil Trygonis diro radio exitialius vsquam est:
Martia non tela, aut nigri quæ lacte veneni
Spicula Achæmenidum tinxit gens aspera bello.
Vbere stet quamuis fœtu; & frondentibus arbos
Luxuriet ramis, vernóque virescat honore;
Vulnere si tristi radicem punxeris imam,

Mox

Logaœdicum Archilochium, Ithyphallicum Marius Plotius nominat, cuiusmodi est illud Flacci.

Soluitur acris hyems grata vice veris & fauoni,
Trahunt'que siccas machinæ carinas.

PINGATVR *Leo otiosè recubans in gramine non procul ab armento pascente, raptæ prædæ mordicus inhærens: ita enim solet ex omni numero, quamtumuis ingēti fame stimuletur, vnum pecus diripere comedendum: adstet illi Canis limis feram suspectans, & prædam ingratis (quod dicitur) oculis frustra deuorans. Symbolum optimè quadrat in hæredipetas, qui alienis funeribus inhiant, & per mortes incerta spe bona aliena captant, sæpius delusi, vt iuuenis ille apud Lucianum in dialogis, quem mors inopina ante senem, cuius funeri propter summas opes imminebat, rapuerat. Competit & in quosuis qui ambitu tenentur, & sacerdotia aut honores aliis possessos venantur.*

MEMORIÆ *proditum eſt à Diodoro Siculo Bibliotheca decimoſeptimo, & à Q. Curtio, Tyrios eximia religione coluiſſe Apollinem: cuius numen ſibi tutelare vt propitiarent, ſibique modis omnibus conciliarent, tēpore obſidionis, quam grauem & funeſtam ab Alexandro Magno experti ſunt, ſimulachrum eius Dei aurea catena baſi columnæ, cui inſiſtebat alligaſſe, vt ille ſcribit; aut vt alter, aræ Herculis vinculum illud inſeruiſſe, velut illo Deo Apollinem retenturos. Similiter Pauſanias in Laconicis refert peruetuſtum Spartæ exſtare ſimulachrum Martis compedibus irretiti, quo vinculo proprium ſibi ac Reipubl. perpetuum bellatorem illum Deum, nec vnquam ſuæ vrbis deſertorem futurum, velut in peculio obligatum voluerunt. Neque aliorſum Victoriam deam, cui pennas dedit, volucremque finxit antiquitas, ἄπτερον, inuolucrē, aliſque orbam & fano & ſtatua decorarunt Athenienſes, augurantes perennem ipſis fore Deæ præſentiam, negatis illi alis quibus auolaret.* [redacted]

[redacted]. Pingantur tres isti dij seorsum in templis concameratis, Apollo catena aurea columnæ alligatus: cætera peculiaria indicia Fulgentius & Cornutus ista tradunt, nempe vt pingatur iuuenis, imberbis, capillo promisso aureóque, laureo serto redimitus, cum arcu & sagittis in dextra, citharam tenens læua, cum Coruo aue illi sacra adstante: Mars sit compedibus vinctus, alioqui loricatus, galeatus, pugione accinctus, flagellum manu tenens, vt Albericus philosophus scribit, altera clypeum, nudo pectore, vt Isidoro placet, cum lupo animali ipsi sacro, aut gallo secundum alios. Victoria, quam apteron, id est, inuolucrem dixerunt Athenienses, pingatur sine alis, virago vt solet dextra manu punicum malum tenens, læua cassidem: nam hac specie colebatur Athenis, vt Heliodori testimonio cōfirmat Harpocration:

posteri deinde sculptores alas illi iunxerunt, nimirum Bubali pater Anthermus, aut, vti Aristophanis scholiastes vult, Aglaophon Thasius pictor; quam alis aureis ornat Comicus Aristophanes illo versiculo:

Ἀυ]ίκα πέτα]αι νίκη π]ερύγοιν χρυσαῖν.

Mox aureis pennis volat Victoria. Exstitit & Romæ simulacrum Victoriæ alis viduum, quæ cælitus tactæ defluxerāt; in quod Pompeij titulo epigramma legitur, in hanc sententiam:

Roma caput rerum, nunquam tua gloria obibit:
Nam victrix Dea te haud deseret inuolucris.

Emblema XII.

Carmen est hexametrum, cui associatur Alcmanium constans trimetro brachycatalectico, vt est illud:

Spernis decoræ virginis toros.

SPARTÆ *in templo Veneris Armatæ contignationem fuisse exstructam, quæ Veneris cognomento Morphûs, à forma (vt apparet) dictæ, numini fuerat sacrata, memorat in Laconicis Pausanias: simulacrum erat ex cedro factum, sedentis habitu, compedibus vinctæ, caput obnubente flammeo, siue calyptra: addit Tyndareum Dio-*

scuro-

ſcurorum patrem pedicas illas adiungi curauiſſe, fidei ſymbolo, quam maritis deberent vxores arctiſſimam: tametſi illius infelicitas in filiabus proſtitutæ pudicitiæ macula famoſis, à Steſichoro Lyrico prodita, ſatiſque decantata eſt. Porrò compedes indiſſolubilis vinculi coniugalis & arctiſſimi amoris ſignificationem habent. Flammeum verò (quod luteum eſt capitis velamentum) & pudoris argumento capiti imponitur, & fauſti ominis ergô, ceu connubij indiſſolubilis. Illud de pudore declarat Claudianus in raptu Proſerpinæ, ibi:

Flammea ſollicitum præuelatura pudorem.

& Lucanus Pharſalidos lib. 2.

Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Poſtremum confirmat flammei vſus aſſiduus flaminis vxori, cui diuortium facere nulla ratione leges permittebant. Sedens autem meritò pingitur, vagæ Veneris odium inſinuans. Pingatur Venus ſubſellio inſidens, pedicis conſtricta, vultu flammeo obtecto, nuda, dextra Cupidinem videntem cõplexa, ſiniſtra tria mala aurea ferens: adſtent illi geminæ columbæ, aues illi ſacræ, Cornuto teſte, cùm propter puritatem, tum propter illices

blanditias, quarum indicium facit frequens harum auium ſuauiatio. Nihil autem magis decere honeſtam matronam, quam velatam conſpici, vult D. Clemens Alexandrinus, exemplo Creuſæ vxoris Aeneæ, quæ ardente iam patria non dum abiecerat curam velaminis.

Emblema XIII.

Carmen eſt Sapphicum præpoſitum Glyconio, quale illud Boëtij:

Cùm polo Phœbus roſeis quadrigis
Lucem ſpargere cœperit.

SYNESIVS *libro de Regno adminiſtrando ad Arcadium, vel, vti Nicephorus vult, ad Theodoſium iuniorem ſcripto, negans in viribus ſolis poſitam eſſe felicatem principis, eam prædicat eſſe abſolutam omnibus numeris vitam, quæ potentiam prudentiæ conſociat: quæ res coniunctæ robur inexpugnabile cõciliant; diſiunctæ verò inualidum & inutile: quãdo videlicet aut robur prudentia ſit deſtitum, aut prudentia viribus defecta. Quapropter, inquit, ſapientes Aegyptios in hoc ſum admiratus frequenter, qui geminũ Mercurij ſimulachrum ſimul conſtituunt; alterum iuuenta florentis, alterum maturo ſenio venerandi: volentes*

volentes innuere, eum, qui rectè Rempub. aut regnum sit administraturus, coniunctam cum prudentia fortitudinem habere debere, quasi alterutrum inutile sit absque alterius ope. Neque alia de caussa Sphinx apud illos pro templorũ foribus posita visitur, & quæ sequũtur infra XLII *emblemate recitata. Huc spectat Hor. illud: l. 3. Ode 4.*

Vis consilij expers mole ruit sua.
Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In maius: iidem odere vires
Omne nefas animo mouentes.

Eandem sententiã comprobat Isocrates ad Demonicum scribens. Robur cum prudentia coniunctum prodest, qua sine, plus habenti incommodat. Quod ipsum & Milonis Crotoniatæ exitus abundè docuit.

Emblema XIIII.

Hexametrum versum sequitur Aristophanium metrum tetrametro brachycatalectico absolutum: seu tetrametrum Colurum: ita namque à Mario Plotio, cuius libellum de metris aliquando inuulgabimus, nominatur, quale est illud:

Marcent lucernæ, sol propinquat, non tamen vocas.

PYRAMIDES, *quas otiosam ac stultam regum Aegyptiorum pecuniæ ostentationem nomi-*

nat Plinius, vastæ fuerunt & insanæ substructionum moles, aliquot soli iugera cõplexæ, partibus fermè quatuor angulorũ lateribus ab imo in acumen desinentes, sic dictæ, quòd in ignis speciem, in conum extenuentur; quarum fastigiata excelsitas paullatim gracilescẽs, umbras quoque consumit, ut, præter Solinum, *Ammianus scribit lib. 22. Fuisse eas regum Aegypti monumenta, & inter septẽ orbis miracula habitas tradit geographus* Strabo. *Quia verò inconcussa vel maximè, stabilissimáq. inter omnes figuras figura quadrangula, Galeno teste, habetur, hinc est quod monarcharũ aut regũ fortunas huic cõparari appositè credam: aut etiã constantis animi virum, qualẽ describit* Q. Catulum Cicero, *quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu, aut spe, aut metu dimouere. Priori rationi hedera aptè conuenit, utpote sese ipsa sustinere prorsum que serpere impotens, ni pedamenti adminiculo utatur, ac flagellis suam muniat imbecillitatem. talis est plebis ac minoris conditionis hominum status, quibus principũ opes fulcimento sunt & ornamento. Neque posteriori rationi absonus est viuax & perennis huius plantæ viror:*

quip-

quippe cùm magnanimi & fortis viri, qui humana omnia premit, et ad omnes casus infractum gerit animum, laus cum æternitate certet, perpetuò victura. Diuersa planè hinc ratio est hederæ arborem scandentis, vt quæ solet succū viresque illius omnes in se rapere ac demum enecare: quod in eos quadrat qui alienas opes sub titulo & prætextu patrocinij in se corriuant, atque emungunt. Aliter etiā Marcellinus li.15. hederæ cōparationem ad opulentos transtulit, apud Imperatorem delatos, qui præsidia potiorum pulsabant, iisdémque tanquam hederæ excelsis arboribus adhærentes, absolutionem precibus mercabātur: Sunt qui emblematis huius significationem calumniati, ad creandam principi cuidam viro, qui hoc symbolo vtitur, inuidiam, eius sensum aliò detorserunt, velut qui circumsessum tenuerit Galliarum Regem et hederæ instar circumplicatum, ne quis ad eum pateret aditus sine ipsius assensu. Sed istud quid aliud est, quam genuinum emblematis sensum corrumpere, atque peruertere, & animam illi adimere.

Heroi-

Heroicum cum Iambico trimetro.

VPVPA *auis eſt criſtata, plumis in capite inſtar criſtæ plicatilis ſubrectis, quam Galli, vn hupe, appellant. Hanc ſcribit Orus vbi ſenſerit ex vuarum, quas appetit ſummopere, eſu nimio noxã ſe incurriſſe, decerpta adianto herba, quam officinæ capillum Veneris nuncupãt, mederi ſibi, ramulum'que eius herbæ ore circumferentem, obambulare. Quibus temulentia valetudinem con cuſſit atque labefactauit, ij abſtinentiæ ramulo ſe luſtrent. Qui affectibus violentis tyrannis, aut (vt voluit Plato) loris reſtibus'ue nos vltro citróque in diuerſos motus trahentibus, obnoxij ſunt, ij à diuinis placitis & verbo diuino remedium petant, & mentem, quæ paſſionibus illis ani mi turbidis tanquam regina quæpiam imperare debet, obmuniant: que victoria primaria eſt & potiſſima, ſeipſum vincere. Qui peccata ſua rite expiari cupiunt, luſtrent ſe lachrymarum adſper gine & immerſabili pœnitudinis ramulo.*

Metrum

Metrum hexametrum, cui ſubiungitur dactylicum Steſichorium, à Steſichoro, cui familiare fuit, nomen ſortitum, conſtans pentimerro acatalectico, quale eſt illud à Mario Honorato recenſitum:

Marſya cede Deo, tua carmina flebis.

PINGATVR *puerorum grex geminus, quorum altera pars bullas ſiue pompholygas è conchylio (in quo ſmegma, quem ſaponem dicimus, cum momento aquæ commiſtum ſit) in aëra difflet: altera eaſdem iridis in modum diſcolores & purpuraſcentes ſectetur atque comprehẽdere ſtudeat, ſub quorũ pedibus non malè ſubſcribi poſſit diuerbium illud Italis in ore frequens,* ET TVTO ABBRACCIO, ET NVLLA STRINGO. *Nemo neſcit bulla nihil eſſe vanius aut inanius, cõparata illi iam olim caducæ mortalitatis vmbra. Itaq. quadrabit aptiſſimè in eos qui diuerſis artibus ſcientiiſ ue animum adiiciunt ſimul, varia in ſtudia diſtracti: aut qui pluribus muniis honoribuſ que ſimul inhiant: aut quacunque tandem in re inſatiabili animo nuſquam ſatisfacientes huc illuc nutant. hi namque parum proficiunt, ſuáque ſpe eluſi ſæpenumero diſcedunt.*

HIP-

HIPPOPOTAMI *impietatem immanem esse, monumentis litterarum proditum est à veteribus; adeò vt ne patri quidem, per quem vitæ vsuram accepit, parcat: qua de re etiam alibi scripsi. At ciconiam serpentium certissimum esse exitium nemo infitias iuerit, qui eam longis colubris inuisam dici Virgilio didicerit: qua de caussa necasse ciconiã capitalis noxia fuit apud Thessalos, quòd eorum regio prouẽtu serpentium abundaret, si Plinio credimus. Sceptrum verò gestamen Regum, qui priscis sæculis iudices erant caussarum; ac proinde etiam iustitiæ dicatum fuit. Quo symbolo indicatur impietatem (quæ vitiorum omnium fundamentum est, & qua flagitia ac scelera omnia continentur) coërcendam esse & vindice gladio castigandam, atque è medio tollendam, non secùs quàm à ciconiis solet serpentium genus. Res per se clara est. Equo fluuiatili in dorso erigatur sceptrum, cui ciconia insistat.*

Metrum

Metrum est Archilochium acatalecticum, comitatum Iambico Hipponactio, cuiusmodi est illud Flacci:

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

MVSTELAM (*inquit Plutarchus libro de Iside & Osiri*) *plerique arbitrantur & affirmãt per aurem initum pati atque concipere, sed ore partum edere, natalium sermonis quadam similitudine. Anaxagoras, alij que nonnulli phisici prodiderunt Mustelam pariter & Ibin ore parere; teste Aristotele libro de generatione animalium tertio, cap. 6. quorum sententiã illic conuellit. Aristeas vt istud ipsum confirmat; ita paululum detorquet symboli explicationem. sic enim sonant eius verba. Mustela auribus cõcipit, quod ore parturit: itaque eius esu interdictum est Leuit. 11. Iudæis; vt hoc symbolo insinuaretur, perniciosissimũ esse homini morem, quòd, quæ auribus acceperit, eadem verbis exaggerans maioribus malis inuoluat. Hugo Card. in superiorem Leuitici locum euariat nonnihil à prædicta opinione; siquidem mustelam marem ore generare, feminam aure concipere annotat: quàm fideliter, ipse viderit. Orus etiam mustelũ piscem huic cognominem*

minem ore parere scribit: similiter & Zezes. Huc allusum videtur à Lycophrone in Alexandra tenebrosissimo poëmate, cùm Medusam Gorgonem appellat δειρόπαιδα γαλῆν, id est, Mustelam iuguliparam, velut collopuerperam, propter fabulam, quæ fingit Chrysaorem & Pegasum è ceruice eius exstitisse, truncato illius capite. Ad symbolum faciunt Epicteti verba admonentis à natura mortalibus vnicam datam esse linguam, aures geminas; vt loquendis audita duplo sint plura. Demonactis apud Lucianum documentum est auribus sæpius quàm lingua vtendum. Epaminondas à Pindaro laudatur hoc nomine, quod haud facilè alter inueniretur, qui plura sciret ac pauciora loqueretur. Picturæ ratio per se euidens est.

Emblema XIX.

Alcmanium est dactylicum tetrametrum hypercatalecticum, simile secundo Boetij carmini, cuius initium:

Heu quàm præcipiti mersa profundo.

CROCODILVS, *cui à croci metu nomen est, exitiale malum, quadrupes vtroque elemento infestum & terra & flumine, linguæ expers,*

dentibus

dentibus ſerratis, eorum'que ordine pectinatim ſe ſtipante, maxilla inferiore immobili, vnguibus immanibus, cute adeò inuicta, vt ictus tormento quouis adactos eludat atque repercutiat tergore, metatur locum nido prædiuinatione quadam & naturali prouidẽtia eum deligens, ad quem ſummus Nili auctus eo anno ſit acceſſurus: neque alibi incubat oua, quæ candida ſunt anſerinis ſimilia. Hæc de Crocodilo ex Plinio lib. 8. ca. 25. Solino cap. 45. Marcellino lib. 22. & Herodoti Euterpe. Addit Plutarchus libro de Iſide, Aegyptios certum coniicere Nili incrementi terminum ibi fore, vbi oua excluſerit femina: nam cùm in humido fouere nequeãt Crocodili, & procul à fluminis alueo parere metuant, ita exactè præſentiunt naturæ tacito inſtinctu quod futurum eſt, vt acceſſu fluuij in pariendo, incubandóque (quod alternis obſeruant mas & femina) vtantur, atque ita oua arida & inhumecta conſeruẽt. Monemur prudenter rerum ſatagere, longéque antè conſultare atque videre, quàm quid ſtatuamus aut agamus.

Carmen est Phalecium à Phaleco inuentore sic nuncupatum, quod & hendecasyllabum à syllabarum numero, quale illud Martial.

Vitam quæ faciunt beatiorem.

CICADA *insectum est, quod rorem lambendo viuit, nec alterius alimoniæ indigum, cantu se oblectat. Pingi possunt plures cicadæ, quæ flosculos (qui ad ornatum varij pingantur) dehiscentes & explicitos, rore madidos, aduolitent ac depascant, à ceteris, qui etiamnum intra calyces suos siue alabastros abditi latent, abstineant. Qui sua sorte, licet exigua, contenti sunt, bonis præsentibus fruuntur: liberali interim spe ducti, fore, vt aut industria aliquid adiiciat, aut principum liberalitate accedat, aut hæreditas portum ostendat, quod omne lucro deputant, & veluti probè sibi fœneratum prætereunt. Non dissonum hinc est Italicum hendecasyllabum.*

Di questo mi contento & meglio spero.

INSI-

INSIGNIVM *vsus peruetustus est, quando Anubin & Macedona, Osiridis filios armorum insignibus vsos fuisse iam tum memoriæ prodidit Diodorus, canis exuuio alterum, lupi rostro alterum, tanquã animalibus ab ipsorum natura non alienis. sic Tydeus apud Aeschylum in clypeo depictum præfert cælum stellatum, cum luna medium vmbonem occupante: Hippomedon Typhonem fumos ore efflantẽ: Parthenopæus Sphingem: Perseus Gorgonis colubriferum caput; Veneris genetricis Iulius, alij Pegasos, Minotauros, Harpyias, Leones, Vrsos, Aquilas, Angues, Fuscinas, alius aliud. At gentis tuæ istud insigne aut symbolum, Sambuce doctissime, non otiosum ac iners aut gloriũ existimo, in quo visuntur binæ grues (non sine caussa Palamedis, vnius inter omnes Græcos sollertissimi artium insignium inuentoris, aues nuncupatæ) hinc pedibus saxum, firmitatis argumento, illinc cor, fontem & retinaculum omnium honestarum actionum, concorditer complexæ, rostrisque annulum aureum, ceu debitam sibi mercedem appetentes. Multiplex hic cognitio animum simul præstringit: nam vti Grues altiuolæ sunt, nubila volatu tranantes; ita doctissi-*

mus quisque non humo assidet, sed mente cælestes etiam sedes adit, imò penetrat; neque id solùm, verumetiam gloria æternitatis affectatrice, sidera pulsat, & nubibus caput inserit. Eædem etiam vigiles, quod noctu lapidem pede sustinent, vt oppressas somno, laxatis neruis, strepitus cadentis lapidis expergefaciat, diligētiæ summæ indicium faciunt. Quam istarum auium sollertiā in exemplum rapuisse mihi videtur Alexāder Macedo, non abs re Magni nomen adeptus, qui globum argenteum brachio capiti subdito tantisper continebat (quoties lucubrandum illi erat) dum retinebat misso neruorum tenore delapsus, tinnitu peluis subiectæ, somnum illi abrupisset. Annulus verò (quem Promethei inuentum perperam, vt quo ipse Caucaso alligatus fuerit, alij Lacedæmonijs falsò attribuunt, quòd ferreus illis in vsu fuisse legatur) in se recurrens & ἀπείρων, immortalitatis nunquam vllo sæculorum spatio finiēdæ index esse meo quidem iudicio videtur. Quòd si hariolari in re mihi obscura licebit, crediderim duorū coniunctissimorum fratrum operam præclaram Principi aliquando suo nauatam, maxima constantia parique cōcordia, ista genti tuæ peperisse insignia,

insignia, laudabiliore ratione, quàm cicatricum insignia Salustianus ille commendarit, vt, quibus gloriæ infinitas, annuli opes, adamantis argumento à Principis liberalitate honestamentum ac decus accesserint. Effigiationem quid attineat præscribere, cùm per se ipsa è superioribus abunde elucescat.

Emblema XXII.

Carmen est Heroicum cum dactylico Alemanio tetrametro acatalectico, cuiusmodi est illud Boëtij:

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ
Luminibusque prior rediit vigor.

ORVS *Apollo qui Hieroglyphica scripsit, refert Leonem, vbi febricitarit (familiaris autem huic feræ morbus febris est, præsertim quartana, si Phileti, qui de animantibus græcè scripsit carmine, credendum est) simia solere vesci, saluberrimæ escæ loco. Non repugnat Plinius, nisi quod morbi vim eleuans, ægritudinem fastidij tantùm sentire dicit, in qua medetur sibi, gustato simiarum sanguine, quæ lasciuia immodica in rabiem eum agunt. Confirmat idem & Philostratus lib. de vita Apollonij tertio: Leones medicinæ gratia simiis insidiari scribens. Quin & Aelianus om-*

nigenæ historiæ lib.I.cap.9. ægrotāti leoni cetera remedia inutilia scribit, præter simiam, cuius esu pristinam valetudinem recuperet. Idem in libris de animalibus lib. 5. cap. 39. medelæ rationem & morbi discrimē distinctius his ferè verbis aperit, Leo, inquit, supra modum ingurgitato cibo, remedium quærit, aut à quiete abstinentiáque aut simiam nactus deuorat: quo cibo alui proluuium excitatur, molestáque saburra exoneratur. Simiis aptissimè comparari possunt impostores, assentatores, & parasiti, qui ad gratiam loquuntur, & principum auribus insidias faciunt: siquidem δημοπιθήκους velut populares Simias vocat Aristophanes eos qui plebi assentantur & obsecundant, quando & πιθηκίζειν, quod Simiari notat, pro fallere, græca lingua vsurpat: est enim animal istud ad imitandum omnia dextrum, & habile. Tales autem pestes si quis aula exturbaret princeps, næ ille verè Augiæ stabulum repurgaret, & cum Hercule ac Constantino monstrorum domitor dici posset: hoc enim Aurelius Victor Constantino tribuit, qui aulicas illas pernicies, tineas sorices'que palatij appellare solebat, vt Anaxilaus opum vermes: quibus confectis &

expul-

expulsis, ad incolumitatem rerum & sanitatem cuncta redire posse, non iniqua spes est.

Emblema XXIII.

Cyrillium metrum est, constans pentimetro hypercatalectico, quale hoc:

Pulcra puella comas ambit sibi palmitibus.

PALMA *Aegyptia, Theophrasto à fructu Balanus dicta, arbor est magna, non recta, sed contorta, folio myrto simili: Dioscoridi (à quo pictura peti potest, expresso eius uno ramo) πῶμα, à succi copia qui in poculi vicem conuertitur, & ab arcenda siti adipsos quoque vocata. Hæc priusquã maturuerit decerpta, sitim sedat: sin matura sumatur, sensum intercipit, gressum præpedit, linguã retardat, & obsessis mẽtis ac corporis officiis, ebrietatis vitium imitatur, vt Solinus memorat, cap. 45. memorabilium. Admonet hoc symbolum curiosam & profundam diuinarum rerum inuestigationem, eam'que maturis iam fructibus factam, hoc est, ab iis qui mysteriorum omnium cognitionem absolutam se adeptos putant, periculosam esse: nam quo altiùs isti laborant arcana de Deo eius'que vniformi Trinitate perscrutari, hoc*

maioribus altioribus'que tenebris inuoluuntur, & in diuinitatis abyssum ineluctabilem corruũt. Simonides sapientiæ nomine percelebris olim, rogatus ab Hierone Syracusarum rege, Deum vt sibi definiret, popoſcit sibi diem vnum: postridie rogatus vt fidem exsolueret, bidui spatium petiit: cum'que sæpius dierum numerum ingeminaret, atque Hieron admirabundus eius facti rationem requireret, respondit sibi tanto intricatiorem obscuriorem'que videri rem, quanto diutiùs consideraret. Quò spectasse Aegyptios sacerdotes puto, qui sonum tantùm vocalium litterarum inconditum accinebant, indicantes se nulla ratione de Deo certi quid & explorati posse expromere. In hanc sententiam detorsit istud symbolum Hugo Eterianus, non postremæ eruditionis Theologus, cùm de Spiritu sancto aduersus Græcos dissertur us sic initio operis loquitur. Dum supremæ philosophiæ principium delibare aggredior, aquaticæ mihi videor testudini esse similis, quæ fretum tranare cupiat: stupore cogitatus obsidetur; mens tabescit; lingua tanquam Aegyptiam palmam, quæ apud Græcos Adipsos (malè enim adiperos ibi legitur) vocatur, gustauerit, retardatur. Appositè

me

me hercule ſymbolo vſum vides, in explicanda prouinciæ, quam arduam aggrediebatur, difficultate: nam diuina natura ne angelicis quidē, nedū humanis linguis enarrabilis eſt, aut comprehēſibilis, vt D. Martialis Lemouicenſis Epiſc. ſcribit in epiſt. ad Burdeg. quod ipſum & Plato non tacuit, Deum indictū & innominatū vocans, quem inueniſſe haud ſit facile; intellectu comprehēdere, impoſſibile: aut, vt Hermes Triſmegiſtus inquit, Deum mente complecti res eſt ardua, ſed sermone enunciare, impoſſibile. Huc ſpectat Iambus antiquiſſimus quem ex ore Socratis fluxiſſe, lib. de recta Confeſſ. memorat Iuſtinus martyr.

Οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποισι τῶν θείων σαφές, *id eſt, Rerum diuinarum nihil mortalibus exploratum eſt: quo innuitur, qualia ſint diuina, non eſſe inquirendum ſcrupuloſiùs. Præſtat itaque immaturas palmulas decerpere in ſacra philoſophia, quæ ſitim arcent: quippe cum videamus ſophos iſtos qui maturis frui ſe ſolos arbitrantur, arentibus faucibus, lingua impedita, ingenio hebeſcente ac caliginoſo, greſſu'que malè nutabundo, in ea ſurſum ac deorſum iactari volutarique: & ſapientem Athanaſij admonitionē ſequamur, docentis,*

G 5 lib.

lib. 3. aduers. Arrianos. curiosa & accurata persuasione potiorem esse fidem simplicē. Potest symbolū referri & ad captiosas spinosas'que disciplinas, quæ cum fructu delibari possunt primoribus (quod dicitur) labiis; ita nāque sitim restinguere valent: in quibus tanquam ad Sirenæos scopulos desidere atque consenescere, id demum insanum est studium: nam vbi eò res venerit, stupidi, cæci, dulci'que veneno ebrij, argutiarum fuligine audientium oculos præstringere gaudent, sed euanida, sanctissimæ'que disciplinæ nomen ementiuntur interim, vt luculentè disserit Herodes Atticus apud Gellium, lib. 1. Neque malè vita aulica, huic Adipso arbori comparari possit, quam aliquantisper sequi & degustasse ante maturitatem fuerit non inutile, sed cuius illice succo, vbi maturuerit, plenis faucibus imbui, in eáque non immorari tantùm, sed & immori, omnem nostri agnitionem obliterat, mentem sanam exulcerat, fastu inflat, & Pallante (quem libertos suos nunquam alloquio dignatum scribit Tacitus lib. 13.) insolentiores reddit: nam ex infinitis vix vnum illic Eutherium inuenias, quem in Constantij Imperatoris comitatu solum integrū, fidei continentiæ'q. culto-

cultorem, exstitisse, Marcellinus commemorat, lib. 16. A superiore, quam primo loco dixi, ratione non abludit fortasse, quod refert Clemens Alexãdrinus in Aegyptiorum sacrorum cæremoniis post Cantorem qui principem locum obtinet, sequi Horoscopum flaminem, qui altera manu Horologium, altera Palmam symbola gerebat.

Emblema XXIIII.

Carmen est hexametrum cum trimetro senarióue Iambico.

PRODITVM *est à Plutarcho libro de Iside, Phidiam clarissimi nominis statuarium, finxisse Palladis simulacrum, pedibus prementis Draconem; & alterum Veneris apud Elæos, pede calcantis testudinem: argumento in illa custodiæ sui, quæ virginem deceat; in hac silentij curá que rei domesticæ, quæ matronam deceant. Draco autem appositæ Palladis (quã perpetuæ virginitatis honore insigniuerunt poëtæ) pedibus substernitur, vt sedulam pudicitiæ, cui mille tenduntur insidiæ, curã virgini incumbere significetur; siquidem acerri-*

acerrima oculorum acie præstare Draco perhibetur: quo nomine thesauris omnibus custodiendis (inter quos aureo velleri, hortis'que Hesperidum) eius operam assignauit antiquitas. Pingitur autem Minerua virginis specie, oculis acribus & glaucis, hastam dextra, clypeum læua tenens: cuius vmbo Gorgonis anguicomæ caput præfert, veste ad talos vsque demissa, galea caput muniente, subiecto pedibus Dracone, cuius caput hastam attingat; ita enim ferè à Pausania in Atticis, & à Cornuto depingitur. Venus nuda pingatur, serto myrteo redimita intercurrentibus rosis, Cæsto, hoc est, baltheo vario & pulcerrimo infra pectus ambiente, dextra tenens tria mala aurea, læua columbam, pedibus testudinem calcans. Symbolicè nuditate simplicitatem & apertum pectus vxoris demonstrari existimo: per columbam, puritatem & blanditias: per aurea mala, casti amoris illicium: per cæstum, coniunctiola, casti amoris illicium: per cæstum, coniunctionem deuinctionem'que animorum: per testudinem, & silẽtium et anxiam rei familiaris curam, quippe cùm sommo silentio ingrediatur testudo, domum'que suam semper secum circumfert, vnde domiportam dixi, ex Cicerone libro de diuinatione

tione secundo, vbi veteris poëtæ versum commemorat, ænigmaticè testudinem circumscribentis,
Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam.

Emblema xxv.

HÆC *germana est & viua Medici Icon: quæ quia propter concisam breuitatem obscurior est & intricatior, libuit eam per dialogismum reddere prolixiùs pluribus versibus, vt explicatiùs singula paterent.*

Qui Deus es? Phœbo satus atque Coronide. habes cur
Sceptrum? ægris vt rex impero. quid resides?
Sit sedato animo medicus. quid verticẽ inumbrat
Laurea? perpes enim viuit ab arte decus.
Nodoso baculo quid nitere? difficilem artem
Id notat. hinc cur stat Gallus, & inde Draco?
Cura vigil medicum decet ac custodia. quid vult
Sub pedibus Canis? hoc symbolon est fidei.
Quid'ue tegit mentum propexa incanáq. barba?
Longa ætas firmat iudicium atque fidem.

Aesculapi⁹ Apollinis ex nympha Coronide filius, in deorum numerum olim receptus fuit, quoniam

rudem

rudem adhuc & vulgarem medicinæ ſcientiam paullò ſubtiliùs excoluiſſet, vt Cornelius Celſ. ait: quãquam Triſmegiſtus, interprete Apuleio, medicinæ repertorem falſò nominat. Huius ſimulacrum variis modis effigiauit antiquitas: nam apud Sicyonios imberbem ſtetiſſe, altera manu ſceptrum; altera pineam nucem obtinentem, memorat in Corinthiacis Pauſanias. in eadem hiſtoria refert à Thraſymede Pario exſculptum fuiſſe Aeſculapium in ſolio ſedentem, baculum tenentem manu, altera caput Draconis mulcentem, cum accubante cane. Conſentit in multis & Feſtus Pompeius, lauream inſuper illi attribuens. Ego collectis ſymbolis omnibus, & quaſi in vnam (quod dicitur) myconum coniectis, talem fermè medici ſiue Aeſculapij Iconem conflaui. Virum grauem pinxero, barbatum, throno inſidentem, laureatum, ſceptrum gerentem altera manu, nodoſum baculum altera, aſtantes illi hinc Draconem, hinc gallum, ſtratum'que ad pedes canem. Nunc commenti, ſymboli'ue rationes ſubiiciam. Aeſculapij nomen haud temerè in medicum competit, quippe cuius ſit placidè curare ægrotos. id quod Græcis ſonat vocis etymon

ἀσκεῖν

ἀσκεῖν ἠπίως. Barba illi datur velut adultæ & longæ multarum rerum experientiæ argumentum. Sedentis imago denotat, ſedato animo, neque vagum eſſe debere: Laurea coronatum exiſtimo, ob eximium et immortale ex arte ſalutari decus: quanquam Feſtus eò referat, quòd laurus arbor ſit plurimorum remediorum. Sceptrum illi cum Pauſania tribuo, vt dignitas medici eo repræſentetur, qui Regis in morem ægris imperare debet: quo ſpectat inuectiua Galeni, libro primo Therapeutices: medicos ſui temporis incuſantis, quod mancipiorum ritu ægris ſubſeruirent ac obſecundarēt, contra maiorum ab Aeſculapio oriundorum morem, qui velut reges ſubditis, & veluti duces militibus, præſcribebant ægrotis quæ fieri vellent. Bacillum nodoſum tribuit illi antiquitas, vt difficultatem ſignificarent artis plurimis rerum diſcendarum anfractibus nodiſque difficilibus inuolutæ: tametſi Euſebius hoc interpretetur ægrotorum ſuſtentaculum: & Cornutus libro de natura Deorum, quod medici opera confirmemur, ne tam properè in morbos incidamus: Draconem aſſiſtentem dant omnes. Cornutus tum propter diligentiam in curandis

ægris insomnem, tum quòd medici industria ægri à morbis veluti reiuuenescant, seniumque deponant, serpentium more, vnde Macrobius, lib. 1. Saturnal. Aesculapij & Salutis simulacris Draco, inquit, subiungitur, quia præstant vt humana corpora, velut infirmitatis pelle deposita, in pristinum reuirescant vigorem. Præterea constat ædium sacrarum, adytorum, oraculorum & thesaurorum custodiã olim Draconibus assignatam fuisse, cùm quia acutissimè cernãt, tũ propter inuictas vigilias, quod sensit & Fest. at Plin. lib. 29. ca. 4. Draconẽ Aesculapio sacrum voluit, propter remediorũ, quæ illi insunt, multitudinem. Gallus eidem adiungitur, quòd vigilantissimum sit animal: nam sollicitum & vigilantem medicum requirunt res ægroti. Canem illi subiicio, vt animal fidissimum. quid autem medicum magis deceat, quàm indubitatã fidem, integritatemque ægrotis seruare? quæ res Philippum Acarnanem Alexandro commendatum habuit, licet parricidij crimine, sed immerito perstrictum. neque enim placet quod Festus ait, ideo adhiberi canem, quòd canino lacte sit enutritus. quod tamen apud Lactantium etiam legitur.

Heroi-

Heroicum præcedit Archilochium dactylicum dimetrum hypercatalecticum, cuius generis est illa Horatij oda:

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis,
Arboribus'que comæ.

IN *nemine Deorum tam prodiga ingeniorum fuit antiquitas, quàm in Fortuna, vt quæ sola vtrãque paginam facere in ratione mortaliũ fuerit credita. Hinc tot eius cognomina, de quibus alij dixerunt, tot picturæ, tot diuersa simulacra; apud Artemidorum libro de insomniis secundo, Cylindro tereti insistentis: apud Pausaniam in Messeniis polum vertice sustinentis: apud eundẽ Cornu Amalthea gestantis, præsente alato Cupidine: apud Cebetem & Eusebium in pila sedentis & alatæ: apud Lactantium lib. 3. Copiæ cornu præferentis cum gubernaculo: apud Plutarchũ viscatæ. ita fortuna varietatis amica, etiam variè expressa est. Hanc Smyrna clarissima Asiæ ciuitas pedibus carentem exsculpsit, instabilitatis argumento; vnde iocus Apellis in Fortunam diuersa ratione sedentem à se effictam, dicentis eam nunquam stetisse: Alatam verò eadem Smyrna sculpsit, vt vagam nulli'que perpetuò addictam.*

Pingatur itaque sine pedibus, manum extensam ita porrigens, vt pēnas suas cōprehendi non sinat.

Emblema XXVII.

Heroicum est carmen cum trimetro Iambico assecla.

PERSEAM *arborem esse Aegypti peculiarē scribit Theophrastus lib. 4. de plātis, aspectu venustam, ingentem, pyro assimilem cùm foliis, tum floribus, ramis'que: cuius etiā poma, quæ copiosè fundit, magnitudine pyrum repræsentant, specie oblonga, amygdalacea, colore herbido, nuce intus pruno non dissimili, sed minore multo ac molliore, carne dulci admodum ac suaui. Qua ex descriptione deprehēdere licet Perseam, nostræ Persico esse congenerem, specie tamen dissidentem. Nicandri interpres apud Persas letalem priùs, translatam in Aegyptum, terræ mangonio salubrem euasisse scribit: cuius dictis attestatur non vno in loco Galenus, & locuples testis Iunius Columella lib. 9. iis versibus:*

Stipantur calathi pomis quæ barbara Persis
Miserat (vt fama est) patriis armata venenis.
At nunc expositi paruo discrimine leti
Ambrosios præbent succos, oblita nocendi.
Quin etiam eiusdem gentis de nomine dicta

Exiguo

Exiguo properant mitescere Persica malo.

Quibus ex verbis facilè agnoscitur discrimen inter has arbores. Porrò nux huiusce arboris dura, turbinata, cordis figuræ nõ absimilis nucleum operit: innuente symbolo sapientiam nucleo assimulatam, operculo duro, reseratu difficili esse opertam debere. De hac Plutarchus, lib. de Iside, in hunc modum. Inter plantas quas fert Aegyptus, Perseam eximiè præ ceteris Isidi sacram esse voluerunt, quòd eius fructus, cordis speciem, folium, linguæ repræsentet: nihil enim inter omnia, quæ homini à Deo data sunt, diuinius est sermone, præsertim qui de Deo instituitur, neque maius ad veram felicitatem momentum obtinet. Hæc ille.

Emblema XXVIII.

Metrum est Iambicum trimetrum, cui subiungitur Archilochium, quale est Horatij illud in Epodis:

Plecti nihil me, sicut antea, iuuat
Scribere versiculos, amore percussum graui.

ARBOREM *pinxero quercum, vt solidioris ligni, firmioribusq. innixam radicibus; qualis virorum principũ conditio est, quã priuatorũ, durabilior: cui altrinsecus immineat ex atro et turbulẽto*

cælo allatum hominis caput plenis buccis ſpirans (ita enim ventos pinxere veteres) decutiens'que folia, partim humi ſtrata, viridia licet, partim cadentia, paucis adhuc ſuperſtitibus in ramo vno aut altero : cuius caudici circumuoluta ſchedula loquatur dictum iſtud Italicè: BASTA CH' IO VIVO. *Nil mirum eſt, neque verò abſurdum, arbori comparari virũ principẽ, quando & Horat. Pompeiũ Magnum multitudine pariter atq; magnitudine rerum geſtarum clariſſimũ, allegoricè Ponticam pinũ, & Syluæ nobilis filiam nominet. quin & Lucanus poëta eundem Magnum quercui ſilua arborum obſeptæ, eadem ratione comparat. Princeps, etiamſi de gradu ſit exactus diro nouercantis fortunæ ludibrio; non patitur tamen generoſos illos ſpiritus ita infringi aut peſſundari pro cæcæ ſortis libidine, vt quidquam auito progenitorum ſuorum ſtemmate indignum admittat : cuiuſmodi Gilimerem Vandalorum Regem commemorat Procopius, & noſtrũ æuum talem non vnum protulit. Idem in virum fortem & infracti pectoris conuenit, honoribus opibus'que per inuidorum ſuggeſtiones exutũ, contentumq; in otio paupere deliteſcere.*

Carmi-

Carmini Heroïco subiũgitur Iambicum trimetrum.

APVD *priscos Romanos Flamini Diali tanta in religione habitam fuisse hederam comperimus, vt eam vel nominare, ne dicam tangere, inexpiabile nefas existimaretur; propterea quod is frutex vincit atque illigat lubrico palmitum errore, quocũque se applicat, vti Festus Pompeius indicat. Nimirum declarat istud symbolum, sacerdotem castum & ab omni lasciuia Venerea quàm maximè alienum esse debere: quando suos amatores ita circumueniunt Veneres & circũmuentos enecãt, vt hedera sõlet arboreas vires complexu arctissimo vitalis succi inanire. Eidem non licebat annulum solidum aut nodosum digitis inducere: nempe vt ab omni animi angore liberum, neque mali cuiuspiam sibi conscium esse debere ostenderet eum, qui rei diuinæ vacaret. Pictura postulat profanũ aliquẽ depingi, qui Flamini siue sacrifico (Flamẽ aũt pileo insigniebatur, cui virgula oleagina cũ pauxillo lanæ erat superimposita, cetero habitu nostris ferè similis, lineo amiculo togæ inducto, vnde Linigerorũ nomẽ) porrigat hederã, sed abnuẽti et vestigiũ reducẽti; & altera manu exhibeat annulũ circularẽ & solidũ.*

Emblema XXX.

Trimetrum Iambicū monocolon, in quo priores duo versus reciproci sunt, qui trāspoſita à calce dictionum ſerie tranſeunt in pentametros, hoc modo:

Effere ſeruili colla repanda iugo
Irrita taure paras molliter excutere.

NEQVICQVAM *ſapit & ferre recuſat iugum, qui ſemel admiſit: quando & elephantos iuſſa facere, & Leones iuga ſubire videmus, haud temerè excutienda. Serò coniugij capiſtrum acceptum deplorat maritus, qui ſemel collum ſubmiſit. Aërem verberat, qui publicis muneribus, quæ curanda ſuſcepit, ingratis defungi parat. Pictura per ſe clara eſt.*

Emblema XXXI.

Symbolum iſtud ingenioſè & luculenter à Naſone libro Triſtium ſecundo explicatur, ibi.

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.
Igne quid vtilius? ſi quis tamen vrere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum, modò dat medicina ſalutem,
Quæq. iuuāt monſtrat, quæq. ſit herba nocēs.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator:
Ille ſed inſidias; hic ſibi portat opem.

Diſci-

Discitur, innocuas vt agat facundia caussas:
Protegit hæc sontes, immeritos'que premit.

Vsus rei salutem præstat, abusus necem aut detrimentum saltem adfert: certè ita demum vnumquod'que aut commodat aut officit, prout eo vel vtare vel abutaris. Lex eadem alio atque alio sensu accepta, quem grauaret, reum absoluit, innocentem inuoluit. Quàm sæpe scripturæ membra luxata & veluti assulatim conuulsa, aut in partes consecta, aut commate interstincta, hæreticos armant, caussa casuros, vbi loci, vnde petita sunt, tenor expendatur aut attentiùs consideretur. ita fit vt eundem locum pro sui defensione Marcion & Valentinus adducant; Christianus eũdem rectiùs indubitatius'que pro se alleget: hinc tot schismata, tot pestilentes factiones et prioribus sæculis & his nostris inconsutilem illam Christi vestem lacerarunt. Terra & venenorum & omnis boni parẽs ac alumna, tot pernicies protulit, quot species: tot dolores, quot colores, vt inquit Tertullianus, lib. aduersus Gnosticos. ita Lucret. inquirẽs caussam cur idem alij sit cibus; alij venenum,

Præterea, inquit, nobis veratrũ est acre venenũ:
At capris adipes & coturnicibus auget.

quod & Plinius non tacuit, lib.10.cap.72. Venenis, inquiens, capræ, & coturnices pinguescunt. (ea est enim verior lectio, q̃ quæ habet, capreæ.) Quin & Aristoteli idem non fuit ignotum. Ad picturæ varietatẽ pingi potest Helleborus niger, siue, veratrũ, quam herbam hinc depasti homines exspirent ac vitam cum morte commutent: inde coturnices aues & capræ eo pabulo vsæ, vegetæ sint et agiles. Altrinsecus pingatur ignis cui assideat aliquis, vt rigorem expellat: & in proximo, domus incendio conflagrans.

Emblema XXXII.

Heroicum, cui subiungitur tetrametrum Clodũ, siue Episcazon à Plotio dictum, Aristophanium nominat Seruius.

PINGITVR *mulier scabello aut tripodi insidens, geminas alas ad modum talarium Mercurij expansas, velut paratum volatui peculium, dextra tenens: læua testudinem meritò tardigradam à Pacuuio dictam: rursus dextro pede terram premẽs; sinistro in altum elato, ita vt dextræ expromptam agilitatem remoretur pedis dextri grauitas: rursúsque læuæ tarditatẽ adiuuet pedis*

item

item læui alacritas. Mediocritatem auream insinuat symbolum; itemque animi moderationem, ne ita efferamur, vt sortis nostræ obliuionem induamus, neue iuxta adagium, ita fugiamus vt præter casam. Habet affinitatem cum illo Augusti dicto, Festina lentè. Tarditas immodica, præcipitatione castiganda venit: & celeritas nimia illaudata est & vitium habet. Itaque modus omni in re seruandus est: atque ita festinandum, ne vel tardi, vel præcipitis nomen incurras.

Emblema XXXIII.

Iambicum trimetrum Archilochium monocolō, Horatiano illi simile:

Iam iam efficaci do manus scientiæ.

VERISSIME *dictum est ab Ouidio poëta:*

Naturæ sequitur semina quisque suæ:

nimirum ita fermè comparatum videmus, vt nihil tam commodè fiat aut dicatur, quod non detorqueat, deprauet, ac sinistrè interpretetur calumnia. Proptereà scitè & festiuè dictum est à Theodoro Atheniensi, cùm illi fuisset obiectum, quòd multos sua doctrina deteriores redderet, aliorum id vitio accidere, qui sinistra ipsius doctri-

nam acciperent, quam ipse dextra porrigeret. Neque malè sonat vulgatum prouerbium: Volucres pro suo quamque rostri modulo cantillare: cùm velit innuere improbos non posse non improbè loqui, bonos verò benè. Nempe rosa vtilem mellificio materiam api suggerit, araneæ venenum: Quam sæpe fit vt dictum innoxium, ac sine fuco expressum, huic risus & leporis seminarium sit; illi Vatiniani odij fomes & incentiuum. Scriptura sacra, inquit Nazianzenus, in prima Steliteutice: probis est virtutis armamentum; at sceleratis nequitiæ stimulus.

Emblema XXXIIII.

Heroicum Alcmanio siue Archilochio prępositum, quale suprà IX. Embl.

BACCHVS *cognomento Psilas, quasi alitem dicas, Amyclis vrbe Laconiæ exitiali silentio nobilitata, colebatur. sua namque lingua ψίλα alas vocabant, quò respexit fortasse Catull. eo versu.*

At parte ex alia florens volitabat Iacchus.

Voluit autem significare artifex, Vinum, si modus adsit, vt tristitiæ curã hebetare; ita ingenium agile reddere & alacre, nihilo secius quàm aues pennis

pennis euehuntur, vti à Pausania in Laconicis proditũ est. Tametsi cum Eubolo sapiẽtiam vino obumbrari dicat Plinius; accedo tamen Plutarchi sententiæ, inuentionem & facundiam vino tribuẽtis. sic enim in sympoſiacis loquitur: Quidam inter bibendum inuentionis acrimonia & linguæ disertitudine, quæ in sobriis ieiuna & contracta erat, seipsos superant, ii'que vini feruore, ceu nidore quopiam thureo suffiri atque expleri se sentiũt, metu, qui spiritus generosos cohibebat, exploso: est enim vinum fecundissimus liberè ac proinde verè loquendi alumnus, sine quo nullus est ingenij et industriæ vsus. vinum calore (vt inquit Plato) & animũ & viscera imbuit. Hinc est quòd Aeschylum nobilissimũ poëtam non nisi inter calices tragœdias suas scripsisse legimus: Enniũ vinosum ad canenda bella prosiliisse: priscos heroäs inter calices grauissimis de rebus consultasse. Neque verò temulentos, siue, quod idem est, rationis egentes, scripsisse aut consultasse, sed postquam mero incaluissent venæ, ac dispulsa esset illa ieiunitatis segnities, verisimile est. Neque alieniùs à symbolo isto cecinit Niceratus:

Egregio vati vinum sit Pegasus ales.

Pingatur

Pingatur Bacchus puer, nudus, imberbis, rubidi coloris, læto vultu, pampinis redimitus, corniculis è fronte promicantibus, corpore non obeso æquali-culi instar, sed vegeto & agili, alis extra humeros exstantibus volucer, altera manu botrum tenens; altera, si placet, scyphum: oculis viuacibus, & cælum suspectantibus.

Emblema XXXV.

ADOLESCENTIÆ *flos non per luxum, deses' ue otium deterendus est, sed veris animi ornamentis tingendus, siue id in litterarum atque artium liberalium studio, quibus ætas prima ad humanitatẽ informatur fiat; siue in mechanicis, sedentariis, aliis' ue opificiis. siquidem laboribus vt duratur virtus atque adolescit in maius; ita luxu degeneri' que otio exolescit ac diffluit. Laboribus (quos vbique sanctos agnoscit scriptura sacra) & vitæ subsidia quæruntur, & lætæ senectutis adiumenta comparantnr. Labor iuuentæ viribus, dum genua virent, conuenientissimus est: at senectutem decet feriatum à laboribus otium, rerum' que partarum vsus: Quo spectat laudatus ille Ennij poëtæ versus:*

Sicut

Sicut fortis equus, ſpacio qui fortè ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectus quieſcit.

Proinde recte dictum eſt à Portio Latrone inſigni rhetore: Quære adoleſcens, vtere ſenex; & in eandem ſententiam à Seneca: Iuueni parandum, Seni vtendum. Pingantur *hinc adoleſcens expeditis lacertis, nudo capite, ligone terram proſcindens: illinc ſenex abolla pellita ſuffultus, in ſolio accumbens ad genialem menſam epulis ſcyphíſque exſtructam.*

Emblema XXXVI.

Heroicum comitatum Iambico ſenario.

PAVSANIAS *in Corinthiacis commemorat apud Sicyonios exſtare nobile Veneris ſimulacrum ex auro & ebore ſculptum Canachi clariſſimi ſtatuarij manibus, quæ capite geſtet cæli orbes, altera manu teneat papauerũ capita; altera malum. Innuere artificem voluiſſe arbitror Veneris in omnia animantia potentiã, quando & Iouem ſuum in varias ſpecies mutatum cælo deductum Veneris cauſſa fabulantur poëtæ. Huc ſpectant Lucretij verſus:*

Alma

Alma Venus, hominum̃ diuum'que voluptas, capta lepóre
Illecebris'que tuis omnis natura animantum
Te ſequitur cupidè, quó quãque inducere pergis.
Omnibus incutiens blandũ per pectora amorem
Efficis, vt cupidè generatim ſæcla propagent.

Pingatur Venus nuda, myrto coronata, cum puero Cupidine alato, cæco, pharetra & arcu inſtructo, læua malum aureum tenens, dextra papauera: ad ornatum addi poteſt quadriga à duobus cygnis & columbarum pari numero tracta, cui inſideat Venus: nam cygnos eam vehere Horatius, Statius, & Ouidius loquuntur, alij huic muneri columbas deputant: Sappho etiam paſſeres dat. Porrò nemo eſt, qui neſcit papaueris vim præcipuã eſſe in ſopiendo ſomnq́; conciliando, vſqueadeo vt copioſiore eius vſu inexpugnabilis etiã ſomni neceſſitas ac veternus inducatur. Venus autem præſertim moderata, iras implacabiles ſopit atq; remittit, teſtibus Aëtio & Aegineta, ingenij mæſtitiam obliterat, animum ſedatum reddit, atra bile percitos furioſos'q. ad ſanam mentẽ reuocat.

NEMI-

NEMINI *ignotam arbitror nucem Pineam, quam ſuperſtitioſa antiquitas Cybelæ olim ſacrarat, colliculis quibuſdam inæqualem & aſperam, ac veluti in gradus quoſdã ſcanſilem miræ duritiæ, qui vix, niſi vi ignis expugnati, in valuas dehiſcunt, & lacunatos torulos reſerant, in quibus nuclei dulces reſident, magni ad diuerſa corporis mala vſus, quos & conos & ſtrobilos nominant peritiores. Hanc inſigne, ni fallor, gẽtilitium olim domi tuæ mihi oſtenderas, Tennere ornatiſſ. quando euocatum à Rege in Daniam, humaniſſimè excepiſti, eo ferè emblemate in inſtrumẽtum omne argenteum addito. Cuius ego non aliud fermè ſymbolum puto, quàm quòd è virtute & eruditione, omni'que ſapientia (quo non temere niſi per labores peruenitur) dulciſſimus omnium exiſtat fructus, qui ſapienti recordationem actorum laborum longè iucundiſſimam adferat.*

Ex *Hieroglyphicis notis, quas ignorabiles Marcellinus nominat, petitum ſymbolum. Viperæ, inquit Plinius, mas caput inſerit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Confirmat hoc Orus Apollo, addita ſymboli explicatione, in hæc verba: Ægypty mulierem ſuum maritum exoſam, vitáque illius inſidiantem, ſolúmque ob concubitum illi aſſentantem exprimere volentes, viperã pingunt, quæ in coïtu caput maris inſertum ore complexa, illud morſu truncat. Picturæ ratio per ſe euidens eſt.*

Emblema XXXIX.

Alcaicum metrum choriambicum, ſecundum Seruium, quale eſt Flacci illud:

Nullam, Vare, ſacra vite priùs ſeueris arborem.

PINGATVR *columba caueæ incluſa, cui inſidietur atque immineat altrinſecus ſuperuolans aquila. poteſt autem in ſuperiore pariter & inferiore caueæ limbo, aſcribi hic verſiculus:*

IL MAL ME PREME, ET ME SPAVENTA IL PEGGIO. *Innocentum anguſtias aptè exprimit ſymbolũ, quos non ita ſatis tutatur ſua tenuitas & rei familiaris anguſtia, quin mille diſcri-*

discrimina ab impostoribus & rapace hominum genere illos circumstent.

Emblema XL.

Carmen est AEolium, à Sappho modis AEoliis delectata, frequens in vsu habitum, teste Terentiano Mauro, quale memorat istud:

Cordi quando fuisse sibi canit Atthida
Paruam, florea virginitas sua cùm foret.

NEMO *est tam perfunctoriè in poëtarum libris versatus, cui non suboleat Amorem fingi ignem esse quẽdam occultum, qui cor iecur'ue, propriam illius sedem insideat, & præsens absens'que vitalia noctes ac dies depascat, vnde illud est de Didone dictum. Et cæco carpitur igni. Et illud: Est mollis flãma medullas. item illud: Quisquis amat, vritur igne graui. atque adeò Xenophon ipso etiam igne flammáque torrentiorem illum facit, vtpote cùm ignis tangentem solùm vrat & vicina depopuletur: hic verò etiam in procul obtuentes & longo terrarum tractu separatos, ardentes suas sagittas acuat; quod inquit Horatius: Itaque aptè faci comparatur, quam & sua flamma depascitur; & vicinus ignis, cui imminet, consumit.*

ſumit. Pingatur fax cerea paulatim liqueſcens vi ignis propinqui, & accenſo ellychnio ab altera parte ſeſe conſumens, cui ſi lubet addi poteſt Italum hendecaſyllabum.

ARDO D' APPRESSO, ET DA LONGE MI STRVGGO.

Emblema XLI.

Senarij ſunt Iambici acatalectici.

CLEMENS *Alexand. li. 5. ſtromatũ, refert ex Pherecydis Syrij auctoritate Anacharſim Scythã pingi ſolere, læua manu genitalia operientem, dextra os compeſcentem, ad modum Harpocratis Aegyptij: eóque ſymbolo innui, debere nos ſuperare vtrumque quidem, & libidinem nimirum ſeu voluptatum ſeminarium, & linguæ petulantiam. ſed hanc potiſſimum. Laërtius ait ſtatuis huius philoſophi additam fuiſſe ſequentem inſcriptionem, Linguæ, ventri, pudendis impera: quo ſymbolo oſtenditur garrulam & effrenẽ linguam infinitorũ malorum eſſe cauſſam: luxu fœdius nihil aut ſcropha dignius: & libidinis incentiuum, velut Circeum poculum ex hominibus belluas nos facere.*

Ariſtophanium Iambicum tetrametrum brachycatalecticum monocolon.

IN *deſcribenda Sphinge diſſentiunt inter ſe auctores. ſiquidem eam triformem fuiſſe belluam fabulatur Palæphatus corpore canino, facie puellari, alis volucris, voce humana. Zezes Lycophronis interpres leonina ſpecie antrorſum, poſteriore humana, vnguibus gryphinis, aquilæ alis eam depingit. Auſonius quoque triformem deſcribit illis verſibus in grypho ternario:*

Terruit Aöniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Pſellus in allegoriis biformem facit, vmbilico tenus elegante forma puellam, cetera hiſpidam, cauda oblonga, & ferinis pedibus, lingua Atticiſſante & Pythagoræa, hoc eſt, diſerta & ſapiente: Aelianus etiam lib. 12. de animal. cap. 7. διφυῆ καὶ δίμορφον *biformem & duplici conſtantem natura, ab Aegyptiis effingi ſculpiq́; commemorat, miſtura leonini & virginalis corporis in vnum conflata: idq́; Euripidis teſtimonio cõfirmat. Suffragãtur illi Orig. li. 1. cõtra Celſ. dimidia ſui parte virginis formã præ ſe tuliſſe ſcribens, & Clemens.*

Iam verò Diodorus Siculus, & cum Solino Plinius in Simiarum genere enumerant Sphingas, comis villosas, prominulis mammis, & dociles: quæ nihil ad nostrum institutum, nisi quòd fabulæ biformis monstri attestantur. Quid dicam quòd Dion Chrysostomus Sphingem allegoricè inscitiam exponit: at Psellus pro homine è dissimilibus constante, siquidem pars nostri rationalem facultatem obtinet, pars brutam naturam sortita est. Nunc ad symbolum veniamus, quod ex Clementis Alexandrini sentẽtia adscribam. Sphinx inquit lib. 5. stromatum, pro delubris statuebatur apud Ægyptios, vel quia altis inuolucris operta sit omnis de Deo ratio, & mortalium sensibus obscura atque imperuia: vel quia amare pariter & timere Deum teneamur, ac diligere quidem vt piis mitem & benignum: metuere verò, vt inexorabilem meritóque iustum vindicem scelerum erga impios, siquidem Sphinx humanam pariter & belluinam speciem repræsentat: vt nimirum ferina forma, terribilem eius duritiam & asperitatem in exigenda ab impiis vindicta insinuet; humana, facilem atque obuiam erga pios clementiam. Hanc in symbolo interpretationem

secutus

secutus sum, tametsi aliter exponat Synesius Ptolemaïdos Episcopus longè doctissimus in libro De regno, et repetit in libris de Prouidentia, in hanc ferè sententiam. Sphingem Aegyptia gens ante delubra consecrauit, vt sacrum symbolum coniunctionis virtutum, fortitudinis & prudentiæ, dum ferina species robur repræsentat; humana prudentiam: robur namque prudentia duce destitutum, temerè citráque consilium & iudicium rapitur, miscens atque confundens omnia: rursus ingenium & industria aut prudentia, quantumuis magna, nisi manus habeat administras, inutilis est atque euanida. Sed hoc eius interpretamentum ideo respui, quòd aliud huius rei symbolum eadem gens dederit; de quo diximus embl. XIII.

Emblema XLIII.

VT *fulminis, ita & procellæ eadem est ferè natura & vis, vt validissima quæque ac renitentia sternant, euertant, dissipent. Idem est liuoris ingenium. Contrà arundinem contumacem aduersus sæuientium nimborum impetus, domitricem'que ruentis cæli videmus, nec aliis armis quàm pa-*

tiẽtia quadam tutam. Neque verò alia est æquitatis animi ratio, quæ inuicto robore despuit ac perferendo inuidiam ceteráque mala superat, gloriæ immortalis quæstu opulentissima; vbi temeritas succumbit, quàm laudem inuenit, sæpius. Qui vitæ honestati innititur fortiter patiens, is et tutè viuit, & de inimicis triumphat seriò, taliq́ fortuna etiam adiumento esse solet, quod Cornificius dixit. Picturæ ratio obuia est, vbi ventus aliquis tumidis buccis inspirans, ingentes arbores et confringit medias, & reuulsas radicitus profligat, illæso perstante arundineto.

Emblema XLIIII.

PRODICVS *Ceus philosophus librum conscripsit Horarum nomine, in quo fabulatur Herculem viam ingressum, fortè incidisse in Virtutem ac Vitium; quarum vtraque magno studio illum in suos mores vitáque institutum pertrahere conatæ fuerint: tandem victum in partes Virtutis concessisse, eiusq́ sudores antetulisse insidiosis ac titillatricibus Vitij voluptatibus deliciisq́. Narrationem omnem licet petas ex Xenophõte, libro*

commẽtariorum de dictis factisq́; Socratis secundo. Meminit Cicero de officiis lib. primo. Sillius Italicus elegãter hanc fabulam transtulit, lib. 15. Punici belli, ad Scipionẽ, cui de bello in Africam cogitanti, dextra læuaq́; adstitisse hinc Virtutẽ, illinc Voluptatem fingit, addita vtrique oratione ad persuadẽdum efficaci. Simili ratione Lucian. in somno apparuisse sibi Statuariã et Doctrinam comminiscitur, quarum vtraque sui studium illi persuadere conata sit. Simile commentũ est apud Poggium de Industria & Pigritia per somnum cuidam apparentibus. Tendunt omnia ad vitæ institutum delectumq́;, qui à Deo animarum ephoro seu natura, cùm pubescimus, proponitur: id namque tempus aptissimum deligitur ad ingrediendam certam aliquam viuendi viam. Neque verò aliud est Paridis iudicium, quàm delectus adolescentis in persequendo hoc aut illo vitæ instituto, dum aut recta ratio eũ ducit ad verorum bonorum, hoc est, Palladiæ vitæ amorem; vel animi affectus vecordia seductus, ad Venereæ & in speciem pulchræ formæ admirationem rapitur & inclinat, vti vult Proclus Diadochus in Platonicis commentariis.

Hexametrum, cui ſubiungitur Iambicum dimetrum catalecticum.

APVD *Sain inferioris Aegypti regionis metropolin, in veſtibulo fani Mineruæ ſacrati, hieroglyphicum ſymbolum exſculptum fuiſſe hoc ordine commemorat Plutarchus in libro de Iſide: nimirum Infans, Senex, Accipiter, Piſcis, Hippopotamus ordine ſequebantur: quo admonebantur à primis vitæ initiis ad extremum vſque eius terminum, animis hominum inſidere debere, quòd Deo nihil ſit magis inuiſum atque exoſum, quàm impudentia. Accipiter autem Dei ſignificationem habet, quoniam ea auis ceteras antecellit & aciei obtutus, & volatus pernicitate. Piſcis verò odij latentem ſignificationem præfert, propter mare elementum humanæ naturæ inimicum. Hippopotamus denique impudentiam notat, vt qui genitori quoque ſuo non parcat, eóque necato vi matrem ineat. Eſt autem Hippopotamus ſiue Equus fluuialis, ſoli Nilo cognitum animal, corio & pilis veſtitum, vt vitulus marinus, quaternis pedibus, vngulis bifidis quales bubus, dorſo equi & iuba, roſtro reſimo, cauda tortuoſa & breui, dentibus aprorum aduncis, animal præ ceteris ſagaciſ-*

ſagaciſſimum, vt quod in arundinetis ſuccisis cubile ponit, tramitesque à pabulatione auerſis veſtigiis varios diſtinguit: & ex voracitate nimia pigreſcere ſe ſentiens, arundini præacutæ crure impreſſo, ſanguinis profluuium elicit, eáque inanitione ſibi medetur. Hæc ferme de Hippopotamo ex Ammiano, Plinio, Solino.

Emblema XLVI.

Carmen eſt Antiſpaſticum tetrametrum, eius generis quod à Seruio Honorato tali exẽplo cõprobatur.
Mæcenas atauis, Lydia quos fert, genite.

INTER *cetera, quæ leoni ſæuiſſimo animali terrorem incutiunt, enumerat Plinius lib. 8. cap. 16. circumactos rotarum orbes, & cantus gallinaceorum, ſed omnium maximè ignes. Confirmat hoc Orus Apollo, nulla re magis domari atque frangi leonis feritatem, quàm accenſis facibus. Iræ tumor haud ferme compeſcitur meliùs, quàm documentis præceptisque cæleſtis philoſophiæ, quæ facis inſtar mentem illuminat, & ab indomita præcipitis affectus rabie cogitationem auocat, ſanæque doctrinæ ſuggeſtione munit, & animi tranquillitatem conciliat. Præterea & ſupplicij*

mictus non iram moderatur modò; sed & ceteros affectus velut iniecto freno cohibet. Iræ significatio à tædis non est aliena: nam & definiunt eam sanguinis circa cor ardorem, vnde Lucret. lib. 3.

Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira,
Cùm feruescit, & ex oculis micat acriùs ardor.

Quod ad picturam attinet, pingatur fax ardens, & Leo qui auersetur ignem illum.

Emblema XLVII.

Carmen est Alcaïcum dactylicum monocolon, constans pentemimeri Iambica, & gemino dactylo, simile illi Horatiano:

Fauete linguis, carmina non priùs.

PINGATVR *Ceruus pernicissimo cursu fugiens, sed obliquato nonnihil collo, sagittã vulneri hærentẽ respectãs, vt aliqua ratione doloris sensus exprimi videatur. Expressũ ex illo Hetrusci poëtæ versu qui etiã non absurdè appingi potest.* DI DVOL' MI STRVGGO, ET DI FVGGIR' STANCO. *Qui æger animi peregrinando & trans maria currendo doloris fastidium leuare se posse sperat: non absimilis est huic Ceruo. nam & ægrimoniæ vulnus animo circumfert, & opes atterendo*

terendo, ac in ignota incurrendo hoſpitia, dum malè tractatur, laſſeſcit, cruditatem'que vulneris adauget.

Emblema XLVIII.

Heroïcum eſt Archilochio tetrametro adiunctum.

DESVMPTVM *eſt ex Plutarcho, libro de Iſide ſæpius antea citato, vbi ſic ait. In Creta Iouis fuit ſtatua, auribus mutila: quo ſymbolo innuere voluit artifex, principem & qui ius in omnes habeat, non debere alicui aures ſuas mancipio dare, hoc eſt, ita accommodare vt ab illo poſſeſſæ videantur, vt'que illarum obſequio abuti queat. Nihil pernicioſius eſt quàm quòd aures in omne patentes princeps habeat: idquod Marcellinus lib. 16. de Conſtantino Cæſare prædicat, turpem tanto Imperatori maculam adſpergens; contrà quàm præclarum acroama & elogium Iuliano lib. 18. idem tribuit illius patrueli, quo prædicat eum perſonarum indeclinabilem iuſti iniuſti'que fuiſſe diſtinctorem: addito & documenti vice exemplo laudabili, quod huiuſmodi eſt: nam cùm Numerius, prouinciæ Narbonenſis rector, peculatus inſimulatus, rationibus crimen obiectum facilè dilueret, ac Cephidius orator hominis*

hominis innocentiam acerrimè oppugnaret, inops'que documentorum exclamaret: Neminem quenquam nocentem fore, si infitiari sufficeret: Iulianus sapienter ex tempore subiecit, Ecquis tandem innocens erit, si accusasse sufficiet? Non alienum hinc est Alexandri Macedonis factum, altera manu opposita aurem obstruentis, vt reo seruaretur integra.

Emblema XLIX.

Trochaicum Sotadicum trimetrum acatalecticum monocolon, quale illud apud Marium Seruium:
Arua sicca nimbus intrat, ite læti.

CVLEX *insectum flammæ splendore mirè gaudet: itaque lucernis aduolitat, moxq; exustis alis concidit, atque interit. vnde & Pyraustæ gaudium & interitus, in prouerbium abiit. Non absimilis est condicio amantis, qui inescatus amoribus, temeritatis suæ fructus metit, & quem deperit, igne perit: quò spectat Aeschyli Tragici poëtæ senarius:*

Pyraustæ inertem pertimeo necem nimis.

Potuit & pudicus amor huiusce calamitatis sensum incurrere, quando Euadnen legimus præ

nimio coniugis Capanei amore ſeipſam vltro pyræ ardenti iniecisse: Portiam legitimi amoris ſingulare ornamentum, marito Bruto exſtincto, ardentibus carbonibus ore hauſtis, vitam abrupiſſe, teſtante Valerio Maximo. Nam Dido ſe ipſa ferro conſumens dubium in vtramuis partem exemplum attulit: ita vt picturæ per ſe alioqui manifeſtæ adſcribi queat verſiculus Italicus:

COSI DI BEN' AMAR, PORTO TORMENTO.

Emblema L.

COMPLECTITVR iſtud emblema ternas præcipuas vxoris dotes, nimirum reſidem domi ſuæ operam (cuius explicatio XXII. embl. eluceſcit) deinde opum mariti induſtria quæſitarum cuſtodiam; poſtremò linguæ continentiam. Pingatur itaque recto corporis ſtatu mulier, dextra clauium faſcem præ ſe tenens; læua ori oppoſita, qua ſpecie Angeronia Dea, ſilentij præſul, prænexo obſignatóque ore figurabatur apud priſcos.

ADAMAS *vt inter gemmas facilè principatum obtinet, neque mirum, quippe cui vis indomita nomen Græca interpretatione dedit; ita duarum violentissimæ naturæ rerum, ferri ignisq; contemptricem vim singulari prærogatiua iam olim possidet, atque auctoritate scriptorum veluti mancipi tenet: quando enim incudes, nedum malleos ferreos dissilire inusita sua duritie faciat; hinc est quod adamantē (quem opum gaudium præclaro elogio nuncupat Plinius) reliqua vi omni infragilem atque inuictum, solo hircino sanguine, nec nisi recenter à cæde feruente, rumpi posse naturalium rerum ventilatores negant. Emblema desumptum est (ne quis nobis fascinus à maleuolis obrepat, qui candidè nostros labores in publicum proferimus) è librorum Pragæ, quæ Bohemiæ copiosissima facile & litterarum studiis celeberrima est ciuitas, excusorum frontispicio: vti annulus pala inclusum habens adamantem, decussatim præfert hinc securim Amazoniam; inde trullam ferream igne ardente coruscam.*

TRES

Caımen eſt heroïcum cum Archilochio dactylico hypercatalectico.

TRES *ſunt capitales veræ laudis ac honeſtatis omnis hoſtes; tres exitiales peſtes, Inertia, Gula, Venus: Hæ nimirum ſunt pellaces illæ Sirenes, quibus ſapientiæ adumbrator Vlyſſes aures obſtruxerat: hæ veræ Gorgones torporem menti induſtriæ'que conciliantes: hæ ipſiſſimæ Harpyiæ animorum pabuli depeculatrices, quæ patria, hoc eſt, mentis bona comedunt, ratione exuunt, animi'que lumen excæcant. Pingatur homo Sardanapali aut Bonoſi cuiusſpiam ſimilis, ventricoſus, & obeſus, accumbens reſupinus in lectulo, ſubalaribus culcitris innixus, dextram pateræ iniyciens in menſa appoſita, læua Venerem expapillatam contrectans: addatur ad latus Gloria fugientis ſpecie, retroſpectans, et auerſa manu veluti valedicens. Porrò Gloriæ purpureus habitus, vt latè cōſpicuus, aut Attalici generis, tribui debet, cum laurea corona ſempiternitatis teſte: cuius plantis adiicerem talares alas, ad modum Mercurij: paludamentum autem illud purpureum aut χρυσόπαστον linguis oculis'que paſſim adſperſum diſtinguerem; tum quia gloria latè in terrarum*

orbem

orbem dimanat; tum quia gloria celebrẽ omnium ora loquũtur, in eundẽ omniũ coniecti sunt oculi.

Emblema LIII.

Metrum est Iambicum tetrametrum monolon.

NEMINI non est in ore vetusti poëtæ dictũ: Veritas Temporis filia, quod nimirum tempus in lucem proferat veritatem: Saturnum autem pro tempore accipi indubitatum est. Iam vero constat Democritum dixisse quondam veritatem altissimo in puteo demersam atque obrutã iacere: vnde sumpta est fingendi Emblematis occasio. Pingatur virgo nuda Veritas, è specu obscuro inter scopulos vmbilico tenus emicans, quam Saturnus libratis in aëre alis volitans dextra educit: circumstent hinc inde tres feminea specie pestes, Discordia, Calumnia & Inuidia, quæ succinctæ & ligonibus instructæ manibus pedibusque conentur veritatem egesta humo obruere. Nunc singulatim personarum habitum ac speciem demus. Veritas virgo pingitur niueo & simplici, rugisque carente, amiculo induta, puro oculorum lumine irradians. Calumniam olim ab Apelle pictorũ coriphæo ita depictam insinuat Lucian. vt ornatu sit pulcro, forma egregia, adspectu ardẽte, læua

læua ardentem tædam præferẽs; dextra ſupplicem adoleſcentem per capillos trahens: Inuidia macie lurida pingatur, obliquata oculorum acie, viperis circum caput errantibus redimita, cor'que huma num ori admouens comedendum. Diſcordiæ, ſiue Litis imaginem dabo emblemate LIIII. *Saturnus autem operto capite pingatur, ſenis ſpecie, alatus, læua falcem tenens, aut, vt alij malunt, clepſydram: Reliqua picturæ pars è ſuperioribus patet.*

Emblema LIIII.

SYMBOLVM *per ſe dilucidius eſt, quàm vt diſerto in re clara eſſe lubeat. quis enim mali omnis parentem diſcordiã non cecinit, mare cælo permiſcere doctam? Pictam hãc graphice expreſſit in Satyrarum fragmentis Petronius Arbiter, quẽ magna ex parte ſecutus, eiuſmodi picturam dederim. Pingatur mulier lacrymis oculis oppleta, ſciſſo capillitio, comas viperis implexas habẽs, ſcabris dentibus & liuidis, ſanguinea manu facem ardentem quatiens, quæ pedibus follem de-*

primat, cuius acrophysion, siue caput foculum propinquum excitet cum fumo & flamma.

Emblema LV.

MVSCA, *meritò ab Homero impudens dicta; quæ nullum animal minùs docile putatur, minoris'que intellectus, impudentes alienæ famæ obtrectatores denotat, aut æmulos Zoilos, qui ad benè dicta conniuent, in vitio leui aut lubrico lapsu immorantur, illud'que suggillant. Apis candidi lectoris exemplum est, qui Musarum prata peruolitat, & vtilẽ mellificio succum depascitur: aut qui Virgiliano more è fimo gemmas colligit ex horridè inscite'que dictis, veneres dicendi conquirit. Pingatur hinc musca iumẽto hulceroso insidens, virus'que depascens: illinc apis thymum flores'que delibans.*

Emblema LVI.

CITAVIMVS *in Adagiorum nostrorum octaua Centuria, prouerbium à Dionysio Longino rhetore vsurpatum,* ψυχῆς γλωττόκομον δουλεία, *Animi scrinium seruitus: quòd ea sit animi retinaculum,*

naculum, neque sinat libero nos ore eloqui, & liberaliter expromere, quæ animo concepimus, addicti magnatum seruitio, vel saltem eorum tyrannide prohibiti, velut iniecto ori freno, cum libertas eloquentiæ nutrix sit ac parens. Nimirum ea tyrannis ab antiquissimis temporibus inoleuit à principibus vsurpata, volentibus flagitia sua virtutum velaminibus tegi, perfidiam specioso fidei fuco induci. Ea fauendi vitiis consuetudo, vsu stabilita, atque in mores recepta, ingenia scribētium seruitute degeneri ita corrupit, vt nihil sit ab hac parte sani, vt sacrosancta illa historiarum fides penitus interierit, vt illaudatos Busires & portenta cælestibus propè æquemus. Inde excogitata fuit ingeniosa illa pœna et animaduersio, quæ libri incēdio absumi iussi sunt Senatuscōsulto in Imperatorum, ne dicam orbis pestium, gratiam; quod de Labieni scriptis memorat Seneca, de Cremutij Cordi Tacitus. Emblema petitū est ex Philostrato in Scopeliani sophistæ imagine, qui deprecatus operam à Clazomeniis imperatam, quæ domi ludum aperiret, respondet, Lusciniam in cauea cantillare. Pictura per se euidens, lusciniam caueæ inclusam, postulat, sed desidem, non volucrem.

DION *aurei oris cognomine celebratissimus Græcis philosophus & orator, in Diogene siue de famulitio, Emblematis istius occasionem dedit, vbi diuites onerosa famulorũ turba stipatos, Iülis (chenilles Gallicè, nisi fallor; millepedas multipedas'ue Latina lingua nuncupat pilosos vermes ar cuatim progredientes) assimilat: qui etsi pedum agmen infinitum moueant; reptilium tamen sunt facilè tardissimi: ita enim sonant eius verba,* ἔστι τὸ πρᾶγμα ὅμοιον τοῖς ἰούλοις, οἳ μυρίους πόδας ἔχοντες, βραδύτατοι εἰσὶ τῶν ἑρπετῶν. *Nõ absimili ratione triremes Paridis, quibus Helenam petebat, ob remorum ordinẽ multiiugum,* ἰουλοπέζους, *quasi Iüli instar gressiles appellat. His aptissime Crassi nostri Torquati mancipiis locupletes, & Tantali fame conturbatrice nobiles comparantur, qui ansatis lateribus platearum spatia complent, pellitis abollis & ferarum tergoribus hirsuti, fractóque incessu superbi, multitudinem assectantium mini strorum puerorum'que ponè & vtrinque attrahunt. Millepedæ non ignota forma est, ac proinde obuia picturæ ratio, nisi quòd venustandæ illius gratia adiici superiore in tabulæ margine torqua tus aliquis multo comitatu superbus possit.*

INGE-

INGENIVM *& industria quid non valet, quid nõ penetrat, atq. peruadit? quo si accedat assiduitas sedula et indefessa, crebris operis eandẽ incudẽ nocte diuq́; tundẽtibus, operi instans, ne tũ rotundũ nescio quid et absolutum (cuiusmodi orbicularis ille scientiarũ ductus promittit) exsistat inde necessum est. Vetus illud ac veritati consonũ est: Crebris ictibus quercũ deiici, cõtinuæ atq; infatigabilis diligentiæ argumẽto, quòd difficillima etiã quæq; ea via superentur adeò & perficiãtur; Herculeis ac Theseis laboribus omnia quamuis ardua, cælũ deniq; ipsum, pateãt. Verè ille, Labor improbus omnia vincit. Palis & stipitibus, quos fistucæ adegerint, telluris ipsius solum, & ἕδος ἀσφαλὲς (vt Hesiod. canit) pertundi videmus. Has tibi sublicas, Susianæ quidem familiæ insignia, sed easdem pertinacis industriæ symbola, animo infigas velim, Petre fili, ne torpor hinc te reuocet, inde desperatio ad summa euadendi deiiciat; quin potiùs iusta æmulatione ad domestici exempli gloriam laudisq́; hæreditatẽ adspires assiduo studio, quod nocturna diurnaq́; manu tractatum, cũctas tibi difficultates, velut propitia quædam Lucina, peruias aperiet.*

AVCTO-

AVCTORVM NOMINA E QVIBVS PROFECIMVS, ET QVORVM TESTIMONIO SVMVS VSI.

AElianus.
Aëtius.
Albericus.
Alcæus.
Aeſchylus.
Ambroſius.
Ammianus Marcellinus.
Apuleius.
Ariſteas.
Ariſtophanes.
Ariſtophanis interpres.
Ariſtoteles.
Artemidorus.
Athanaſius.
Au. Gellius.
Aurelius Victor.
Auſonius.
Catullus.
Cebes.
Clemens Alexandrinus.
Cornelius Celſus.
Cornelius Tacitus.
Cornutus.
Diodorus Siculus.
Dion Chryſoſtomus.
Dionyſius Areopag.
Dionyſius Longinus.
Dioſcorides.
Epictetus.
Epigrammata Græca.
Eraſmus.
Euſebius.
Feſtus Pompeius.
Fulgentius.
Galenus.
Gregorius Nazianzenus.
Harpocration.
Hermes Triſmegiſtus.
Herodotus.
Heſiodus.
Homerus.
Horatius.
Hugo Cardinalis.
Hugo Eterianus.
Ioannes Stobæus.
Iſocrates.
Iunius Columella.
Iuſtinus Martyr.
Lactantius.
Laërtius.
Lilius Gyraldus.
Lucanus.


Lucianus.
Lucretius.
Lycophron.
Macrobius.
Marius Plotius.
Marius Seruius.
Martialis Epiſcopus.
Martialis poëta.
Nicandri interpres.
Nicephorus.
Oppianus.
Origenes.
Orus Apollo.
Ouidius.
Paulus Aegineta.
Pauſanias.
Petronius Arbiter.
Philes.
Philoſtratus.
Pindarus.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Portius Latro.
Proclus Diadochus.
Procopius.
Pſellus.
Qu.Curtius.
Sappho.
Seneca.
Sillius Italicus.
Solinus.
Statius.
Strabo.
Suidas.
Syneſius.
Terentianus Maurus.
Tertullianus.
Theophraſtus.
Valerius Maximus.
Vitruuius.
Xenophon.
Zezes.
Zoroaſtres.

Excvdebat christophorvs plantinvs Antverpiæ, anno M. D. LXV. idibvs maii.

HADRIANI IVNII MEDICI ÆNIGMATVM LIBELLVS,

AD

VIRVM CLARISSIMVM, ARNOLDVM ROSENBERGVM IVRISCONSVLTVM.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXV.

CLARISS. VIRO ARNOLDO ROSENBERGO IVRISCONSVLTO, HADR. IVNIVS MEDICVS S. D.



EXTA tibi numeris latebrosa Aenigmata mitto,
Quæ dextra enodes Oedipus arte nouus.
ROSENBERGE decus Charitũ, Musæque nouenæ
Rarum ornamentum, præsidiumque meum:
Nempe quaterdenos, cum quatuor, ordine griphos:
Ad numerum tenebris lux rediuiua venit.
Sic Ariadnæo filo duce fugerat olim
Aegides latebras, cæcaque tecta domus.
Prima tenet Calamus gracilis: [2] Nix algida: mollis
[3] Spongia: cumque [4] Manu, thus [5] Libanotis olens:
[6] Ignis edax: [7] Echo resonans: assertor [8] Iesus:
Cum [9] Cereris potu, mollia [10] Vina simul:
Fictilis [11] Olla: [12] Vitrũ fragile: et nux [13] Castana: [14] Taurꝰ
Hinc sequitur: fœtens [15] Matula: [16] Rana loquax:
Instabile [17] Argentum viuum: [18] Pappique volantes:
Turgidulum [19] Cerasum: pendula [20] Araneola:
Tardigradus [21] Cancer: [22] Paries & structilis: adde
[23] Clysma aluum ducens: [24] Aurea mala super:
[25] Campanum æs: [26] Limaxque piger: [27] Ceruiq. fugaces:
[28] Pileolus capitis: Veliuolæque [29] rates:
Et [30] Membrana, tenax quam cera obsignat aratam:

Mollis [31] *Charta: agilis* [32] *pes: volucrisque* [33] *Pila.*
Hinc [34] *Vespertilio sese ordine stridula iungit:*
Et cum dentato [35] *Pectine, dura* [36] *Silex.*
Post agmen claudunt [37] *Morum:* [38] *Canis impiger: atque*
Sol [39] *candens: simul huc,* [40] *ceree Lichne, subis.*
Coniugis [41] *& votum, cui vincla iugalia sordent:*
[42] *Temporis vsura: &* [43] *Cos sine fine rotans:*
[44] *Prurigo imponet mordax Colophona libello,*
Qui nostra in lucem prurit abire manu.
En tibi materiem, quæ pangitur ordine, libri,
Qui rerum exponit nomina luce data.
Haud alio tenuis mea nunc tibi Musa litabit:
Complacat magnos vel mola salsa Deos.
Disce fauere orsis, auram adspirato secundam:
Quod cecini, nitida fronte benignus habe:
Neu fallas nugis tua seria; tunc breue volues,
Cùm madidus cenam soluet Iäcchus, opus.

I.

Est *mihi forma teres: cauus, at non peruius aluus;*
Quem medium nodis spissa medulla secat.
Porrigor in caudam; cui barbula vestit vtramque
Oram; qua volucri sum vice remigij.
Exsangnis, de carne tamen satus, huius alumnus:
Nec nisi carnoso vellor ab vsque sinu.
Iam truncus capite, & diffissa cuspide sectus,
Proluo me succo, Sepia nigra, tuo,
Vsus abest linguæ, tamen illa exerceo parte
Ius necis & vitæ: tristia bella sero:
Componó que animos: regum iras mitigo & armo.
Atro felle mea aut spicula melle madent.
Hoc potior lingua; sine me moritura quòd huius
Sit soboles: nostram sæcula longa manent.
Illa etiam solas præsentis manat ad aures;
Nostra vel immenso, quâ patet, orbe sonat.

Aliter, sed è Gallico idiomate.

Me *gignit nutrit' que caro, de carne reuellor,*
Carnis abest species, nulla est substantia carnis.
Artus crescenti inualidi, muccosá que origo.
Truncatus' que caput, madidum bibo cuspide rorem,
Quo Genij læti aut irati semina prodo.
Fas perago atque nefas: facilis bona, paruá que sector.
Dissidij ac pacis sum Regibus auctor: amantes
Concilio: moderor mentes, & tempero curas.
Sæpe simultates idem qui concito, soluo.
Quæ' que velim sciri, totum dissemino in orbem.
Criminis ipse exsors, multi sum caussa laboris.
Dicam te Oedipoden, si quid sim, nomine prodas.

II.

Candidior cygni plumis, sum filia Brumæ,
Dura minus glacie; sed nec minus algida: fungo
Rarior, ac fluidum in laticem tabesco tepore.
Signo nouem, fuerit si littera prima recisa:
Cor mihi si iungas, vix est auis atrior vlla.

III.

Tethyos vndisonæ mediis ego nascor in aruis,
Méque cauernosam fistula crebra forat.
Non inuita graui leuis impleo viscera succo,
Quem reuomo exsorptum pollice pressa priùs.
Peniculíque loco mensas extergeo mollis,
Et rapio sordes, vlceráque exanio.

IIII.

Porrigor in ramos quinos, & quilibet horum
Diditur in triplices nodos; nisi quintus egeret
Vno, qui solus respondet robore cunctis:
Vndique colliculis surgo, in vallemque resido:
Ast abaci, desit si fortè, ego munia præsto.

V.

Thuris odorati de me salit halitus; vnde
Natales nostrum nomen sibi vendicat ortus.
Prodiga quæ nimium nostri, per vulnera vitam
Effundo, digitus nisi det carpendo medelam.

VI.

Ex me nata Sophi perhibent primordia rerum;
Vltimus & rerum finis & orbis ero.
Omnia consumo, nostrum neque nomen abhorret
Ipse Deus: leuius mobiliusque nihil.

VII.

Deliciæ Panos, prolis Cephisiæ amores,
Conualles adamo, porticibus'que vagor.
Indocilis, prior ipsa loqui, aut reticere loquenti:
Assecla dictorum, & vocis imago vocor.

VIII.

Dicito, quale putes nomen, quod recta columna
Inchoat, inde tridens fuscina nectit idem:
Flexus vtrinque vncus secat: hinc biuij nota: claudit
Idem vncus medio, qui stetit ante, loco.

IX.

Nomine sum vini non digna; vicem tamen huius
Impleo, dum cerebri victrix percello cauernas;
Illud Sol radians, me Mulciber excoquit: amne
Gignor, alit'que Ceres madefacti farris aceruis.

X.

Do vires, adimóque, & origo nominis à vi:
Ingenium exacuo, pectora soluo metu:
Me gignit Tellus: rutilo sol concoquit igne:
Mox ventrosa tegunt dolia, præla vomunt.

XI.

Stat currente rota fictus cauus alueus, vda
Argilla ductus, Mulciberi in gremio.

XII.

Aëris excludo, tempestatum'que malignam
Vim, transmitto tamen lucem, non perfluo: Bacchum
Accipio gremio: nostróque fideliter aluo

Assyrios nimbos, fragrantiáque vnguina credas.
Lumina confirmo, speculíque exerceo munus.
Quin auri nostro pretium concedat honori,
Malleolo si fortè sequax, & ductilis essem.

XIII.

E S T *mihi dura caro, rugosa veste voluta:*
Includor corij tegmine Phœnicei.
Exterius Natura hirto muniuit Echino:
Mensam orno, panis dum vice sóluo famem.

XIIII.

Signiferi sidus, Cilicum mons, Pasiphaës que
Nobilis insessor, vector Agenoridis.
A me nomen habet gens quæ tulit Iphianassan
Fœdantem Scythicæ sacra cruore Deæ.

XV.

Inuentum lasciua putor, Sybari, esse tuorum:
Fictilis aut stanno, aut Cyprio sim fusilis ære.
Vsibus humanis nil me magis vtile, quamuis
Vilius haud quidquam, nec me despectius exstat.

XVI.

Vox mihi rauca aures radit, sum garrula lingua:
Vlua sub sterili mollia regna colo:
Vitáque vere nouo rediuiua recurrit in artus,
Candidæ aui, gracili cruribus, esca petor.

XVII.

Haud temerè inuenias grauius quidquam; attamen vna
Mobilitate viget: si vinclis exeat arctis,

Labitur

Labitur in partes mille, & reparatur in vnum
Rursus: idem immutat species rerum atque colores.

XVIII.

Dum iuuenilis adest vigor, est graue: mox'que senecta
Succedente volat leuiter sine præpete penna,
Et prætexit humum tenui sub pollinę tectam.

XIX.

Rubra mihi cutis est: latet intus vineus humor:
Os pro corde gero, semen at illud habet.

XX.

Vsus abest manuum; ducens pede stamina texo:
Aluus lanigera fertilitate scatet.
Cùm pedicas muscis, scutulatum rete, facesso,
Concedunt tramis serica fila meis.

XXI.

Zodiaci gemino munitum forcipe signum,
Pugnantem Alciden mordicus appetij.
Et testudineo gressu feror octipes: æquor
Innato: sum fœdum, luctiferum'que malum.

XXII.

Calce coagmentor, quadrato marmore surgo:
Defendo nimbos, fulcio tecta domus:
E demas, Idæ pastor, iudex'que Dearum,
Exitium Troiæ, clarus adulter ero.
Tollito P, curnu ferio, ruo mœnia, cælum
Orno, Helles vector, victima grata sacris.

XXIII.

Ibidis inuentum Phariæ, ventris'que morantem
Immisso rostro depleo proluuiem.

XXIIII.

Me vigil Hesperiæ serpens custodiit ore:
De fuluo color insignis, nomen'que metallo
Fluxit: natura est dispar, cui viscera frigent,
Exteriora calent: gratóque embammate mensis
Expetitur succus, conditur pyxide corpus.

XXV.

Malleus illisu insultat mihi; mox ego motum
Aëra percello, & patulas dilabor ad aures:
Clepsydra meliùs properantes metior horas:
Cogo hominum cœtus, tonitrus fugo, tempora signo.

XXVI.

Exossis, pedibus cassus, non horreo spinis,
Próque oculis implent cornua bina vicem.
Exsanguis, quaqua incedo tractu illino muccum.
Lætifer est mihi sal hostis & exitium.

XXVII.

Corniger, ac timidus, pedibus'que fugacibus Euro
Ocyor; at furias mi citat alma Venus.
Lassus, aqua vires reparo: Spadix'que colore,
Cornicis supero sæcula longa quater.

XXVIII.

Libertatem olim dederam, nunc arceo frigus:
Materies fuerant pili, nunc lanea fila;

Aut

Aut etiam tramæ, Seres quas arbore pectunt.

XXIX.

Filia piniferæ ſiluæ, leuis innatat æquor,
Aluo grande tamen per mare vectat onus:
Linigeróque ſinu ventis famulatur, & iras
Neptuni ridens humida regna ſecat.

XXX.

Anſer, apis, vitulus, rerum potiuntur, & orbis
Tergeminum brutum frena ſuperba regit:
Res ſimilis monſtri; condigna interprete, qualis
Thebigenæ nodos ſoluere Sphingis amet:
Membranam vitulus præbet, calamoſque canorus
Anſer, apes ſtipant cerea dona vagæ:
Faſque nefaſque tria hæc obeunt, dum tergora chartæ
Penna arat, obſtringit cera notata fidem:
His humana tribus diuináque iura reguntur,
Omnéque momentum hoc cardine terna trahunt.

XXXI.

Sectilis in tenues membranas candida lamna,
Conflata ex atomis, quos lintea fragmina reddunt
Diffuſa in limpham, exilis quos ficina cogit:
Inde coactilibus ſtipor; mox arida ſole,
Præbeo me calami diffiſſa cuſpide arandam.

XXXII.

Metior, ingredior: tendóque & carbaſa laxo:
Nec moduli, aut verſus me ſine ſtare queunt.

XXXIII.

XXXIII.

Glabra foris, pilosa intus, speciéque globosa,
Exsilio, quanquam mi pedis vsus abest:
Aëreasque carens pennis volitabo per auras:
Et vires crebro pulsa resumo nouas.

XXXIIII.

Est mihi de sero deductum vespere nomen:
Ala mihi cutea est, plumáque mollis abest.
Sola auium pario, soli vbera lacte tumescunt:
Aspera sunt soli dentibus ora mihi.

XXXV.

Buxea materies, numerosóque ordine dentis
Distincta, implexam diuido cæsariem.

XXXVI.

An grauius quidquam est, vel durius? attamen ignis
Hinc saliunt scatebræ, fonticulique leuis.

XXXVII.

Primùm albus pallor, ruber hinc cruor inficit ora,
Mox succum euinco, sepia pulla, tuum.
Vltimus erumpo; ast inter matureo primos:
Est genitrix sapiens, nomine stulta tamen.
Assyrios iuuenum monumento testor amores:
Vinosi laticis rore placere queo.

XXXVIII.

Corporeæ languent vires, rimisque fathiscunt
Arua, ægrum nostra vi rotat ora pecus.
Relligione pia coluit Pelusia tellus,

Nostra fides cunctis obsequium'que placet.
Nos tamen infamat tumulo Priameïa coniux,
Atque incesta Helene nomine abusa meo.

XXXIX.

Rerum oculus cunctis, candens saxum esse putabar
Nonnullis, discus'ue, aut lucida lamina (tanta
De me pugna Sophos exercuit) huic pede maior
Non videor; telluri alius me exæquat inerti.
Attamen vnus ego lustro, gigno, excoquo cuncta.

XL.

Stuppa medulla mihi; labor ast apis ingeniosæ
Scapus mihi est: ab igne flammam mutuor.

XLI.

Olim dedi, quo tunc carebam, munere;
Datum tamen, possideo nunc, atque id colo.
O si diem illum Iupiter bonus vehat,
Quo non haberem, quod darem alteri tamen.

XLII.

Est, cuius cunctis æqua est data copia: cuius
Ex æquo egemus infimi atque maximi.
Quid, quod idem nimium huic, aut parcè suppetit illi,
Vt quisque rectè secius'ue eo vtitur?

XLIII.

Sum Terræ soboles: radiati Solis imago
Forma'que: libratam geminus me sustinet axis:
Attenuor, tenuóque simul; celeri'que rotatu
Perpluor impulsa, & vires adspergine sumo.

Omnia

Omnia fœcundans, elementum absumo; vomóque
In mediis (dictu mirabile) fluctibus ignem.
Quin nuda omnigenis occurso durior armis,
Obiectos'que domo lacera cute certius hostes.
Quid, quòd & arcessor, quamuis innoxia, cædis?

XLIIII.

Carnea sulcetur si glebula corneo aratro,
Non mel dulce dabit, sed feret acre piper.

ALITER.

Agrum caueto carneum ne vomere
Arare pergas corneo: pro mellea
Semente, mox reponet vrens tibi piper.
Cupido eandem dulcàmarus vim tenet, γλυκύπικρος.
Pro melle fellcum propinans poculum.
Fœdare strictis vnguibus cutim caue,
Assiduus est Pruriginis comes Dolor.

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI Regis Hisp.&c.Ducis Brab.&c.Priuilegiis cautum est, ne quis ante sexennium citra Christophori Plantini voluntatem, *Emblemata & AEnigmata ab* Hadr. *Iunio Medico conscripta* imprimat, aut alibi impressa importet, venaliáue habeat, intra omnes ditionis eius fines.. qui secus faxit; confiscationis librorum, & pœna fisco Regio exsoluenda, multabitur: vt latius patet in ipsis diplomatis; quorũ alterum datum Bruxellæ: Anno, M. D. LXV. VI. Ianuar. Subsig.

De la Torre

Alterum verò XII. Martij. Subsig.

De Perre.

MAXIMILIANI II. Romanorũ Imperatoris ſemper Augusti publico edicto cautum & ſancitum eſt, nequis cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacumque ſacri Romani Imperij & ditionis eius fines patent, quæcunque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impreſſa, vel ab alijs quidem impreſſa, nouis autem deinceps ſcholijs, annotationibus, aut commentarijs aucta & illuſtrata Christophorus Plantinus ciuis & typographus Antuerpienſis primus typis procuderit, intra proximum ſexennium à prima cuiuſque operis aut voluminis editione, vllo pacto eiuſdem vel diuerſi characteris forma excudat, aut excuſa ab alijs intra eiuſdem Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, ſeu quouis modo diſtrahat maniſeſtè vel occultè ſub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fiſco Imperiali fraudis vindici, reſidua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impreſſorum amiſſionem: quos idem Plantinus vbicũque locorum nactus fuerit per ſe, vel ſuos, adiumento Magiſtratus loci, vel citra, propria auctoritate ſibi vendicare, inque ſuam poteſtatem redigere poterit. In cuius rei fidem edicto manu ſubſcripſit & ſigillum apponi iuſſit Cæſarea Maieſtas. Datum in ciuitate Viennæ Auſtriæ, die vigeſima prima menſis Februarij, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto: Subſign.
Maximilianus

Ad mandatum ſacræ
Cæſ. M. proprium.
Haller